

Keri, Valentini

SERIES BANORUM DALMATIÆ, CROATIÆ, SCLAVONIÆ

HONORIBUS

Reverendorum, Perillustrium, Præno-bilium, Nobilium, ac Eruditorum Dominorum AA. LL. & Philosophiæ

MAGISTRORUM OBLATA

AB

Illustrissima, Spectabili, Perillustri, Prænobili, Nobili

RHETORICA TYRNAVIENSI,

Cùm in Alma, Archi-Episcopali, Societatis JESU Universitate Tyrnaviensi

PER

REV. PATREM

ANTONIUM HELLMAR,


è Soc. JESU, AA. LL. & Philosophiæ Doctorem, ejusdémque Professorem emeritum, & p. t. Seniorem


Supremâ AA. LL. & Philosophiæ Laureâ donarentur.

Annô M. DCC. XXXVII. Mense Augusto, Die 1.

Tyrnaviæ, Typis Academicis, per Leopoldum Berger.







REVERENDI,

PERILLUSTRES,

PRÆNOBILES,

NOBILES, AC ERUDITI

DOMINI, DOMINI

AA. LL. & Philoſophiæ

MAGISTRI.

LAureatis VOBIS Philoſophis Laureatos pariter Heroës in devoti animi teſſeram offerimus: non quales mendax finxit Græcia, vidit nunquam: ſed quos, cum fœcunda magnorum Virorum matre Ungaria, Il-

lyri-

lyricum protulit; præclarâ quidem Gentis utriusque gloriâ; ſed unà, eximias eorum virtutes imitandi neceſſitate NOBIS impoſita. Nempe non mirari duntaxat oportet Majorum facinora, ſed moribus exprimere: ut, quod illi nobis ſunt, fiamus poſteris, vitæque in toga & ſago illuſtris, exemplar efecti, quos verbis non poſſumus ad recti honeſtique rationem erudire, factis doceamus. Neque enim magnum eſt, magnos inter, aut à magnis naſci; nisì acceptam à Majoribus gloriæ hæreditatem, nova acceſſione poſteri augeamus. Vivite jam Domini Neo-Magiſtri, dúmque de recens VOBIS à Philoſophia oblatis Laureis, ſed VESTRO ſudore rigatis, gratulamur, munuſculum hoc ſincero affectu complectamini.

ITA PRECANTUR

Honoris Veſtri Studioſiſſimi

RHETORES TYRNAVIENSES.

SUMPTIBUS SUIS
EXCUDI FECERUNT.

Illustrissimus Comes

FRANCISCUS BERÉNYI, de Karancs-Berény, perpetuus in Bodók, Ungarus ex Comitatu Nitriensi.

Spectabiles, Perillustres, Prænobiles, Nobiles.

LADISLAUS BALOGH, de Galantha, Ungarus Cziffériensis, ex Comitatu Posoniensi.

JOANNES NEPOMUCEN. KEREKES, de Szent-György, Ungarus Czifferiensis, ex Comitatu Posoniensi, Sem. S. Adalberti Convictor.

JOSEPHUS PIGETHI, Ungarus Tyrnaviensis, ex Comitatu Posoniensi.

CA-

CASPARUS BUFFLER, Ungarus Szeredinensis, ex Comitatu Posoniensi.

MICHAEL KELECSÉNY, Ungarus Alsó-Loczensis, ex Comitatu Posoniensi, Seminarii S. Adalberti Alumnus.

JOANNES KOLLER, Ungarus Agriensis, ex Comitatu Hevesiensi, Sem. Mariano Szelepcséniani Alumnus.

ROCHUS EITLSPERGER, Austriacus Viennensis.

GEORGIUS SCHREIBER, Ungarus Nitriensis, ex Comitatu eodem.




AD LECTOREM.

PErmolesto adeò scriptionis genere, in quo dubia plurima, incerta multa, me illigare ut vellem, is, qui à natura omni hominum generi inditus est, Patriæ, Sociorúmque amor impulit: ut verò auderem, geminorum exempla, quorum alter Palatinorum Ungariæ catalogum cœpit texere, alter Judicum Curiæ syllabum absolvit, animârunt. Horum ego, etsi non passibus æquis, pressurus vestigia, de Illyricis Pro-Regibus cogitare cœpi, usúsque implexi usque adeò itineris ducibus Joanne Lucio Traguriensi Cive, Georgio Rattkaio Zagrabiensi Canonico, Samuele Timonio S. J. rerum Ungariæ chronologo in paucis accurato, aliisque, quorum meminis-

nisse me sæpius visurus es, metam tandem Deo auspice tenui. Contulit quoque ad id non mediocrem suam symbolam peritissimus rerum nostrarum vir Gabriel Kolinovichius *Senquiczensis, qui vix intellectô, idque cùm pene summam labori manum imponerem, animi mei institutô, Excellentiss. duorum* PALFFII *&* ESZTERHAZII, *moderni hujus, illius emeriti, Banorum actis submissis, non modica me sollicitudine absolvit, certè amicô, eruditóque suô munusculô plurimùm devinxit. Vale Lector Benevole, atque non ea, quæ coacti præteriimus; sed quæ fecimus, cogita; tum, si otium tibi, facultásque est, defectum supple: id si feceris, non parùm eruditos omnes, ipsámque, cujus gloria, & honor in primis nobis esse debet, Patriam tibi devinxisti. Vale.*

SERI-



DE ORIGINE BANORUM;

Eorúmque vetere, ac moderna Dignitate.

§.

BAnorum Croatiæ eadem fere, ac confirmati hoc in Regno Evangelii initia fuêre. Posteaquam enim Ethnicis subjecta Regibus Croatia suis sepulta tenebris unum fere seculum delituisset, veram tandem lucem annô à Christo nato 641 sub *Budimerio* nacta, cum nova Christi lege novam pariter Reipublicæ formam accepit. Non ignoro ecquidem fidem veram ab ipso Divo Paulo Apostolo in Illyrico divulgatam; tamen infidelium Principum crudelitate factum est, ut jacta pietatis præfocarentur semina, certè ad paucos, eósque fere intra montium abdita conditos, reciderent. Instituti nostri minimè est rerum has vicissitudines persequi: id unum addu-

xisse sufficiat, Croatiam frustra tot annis expetita pace sub Rege *Budimerio* potitam esse. Elatum quippe postremum Ethnicorum Regum *Rasimerium* excepit *Satymerius* Christianam jam fidem professus: quo pariter fatis sub annum 640 functo, Regnum *Budimerius* boni Patris optimus filius occupavit: hic à Constantino Thessalonico notæ Sanctitatis viro Christi edoctus sacra, lustricisque ablutus undis Crucem Orthodoxam Regio Sceptro felici nexu sociavit. (*a*)

Sedebat tum ad clavum Ecclesiæ *Joannes* IV. natione Dalmata, *Heraclio* Augusto Imperium Orientis moderante: ambos de sua conversione certiores per Legatos faciens *Budimerius*, viros illustres, qui sacrum profanúmque Croatiæ statum ordinent, poposcit, & impetravit. Pontifex certè nova hac rei Christianæ accessione mirùm quàm delectatus, quod petebatur, facilè indulsit. Missi propterea duo Episcopi, totidémque Cardinales, quibus *Honorius* itidem Cardinalis præesse jussus, multis, quæ ad firmandam Illyrici Ecclesiam oportuna judicabantur, statutis, *Budimerium* pro recepto more Ecclesiæ unxit, Regnum in centurias, arbitris etiam rei hujus *Heraclii* Legatis, divisit, Tribunos præfecit, quos Bojanos primum seu formidandos,

(a) *Rattkay L. 2. & Contin. mensis Chronol.*

dos, tum contractiore vocabulo Banos placuit compellare. Arctior tunc muneris hujus, ac modò, potestas, & fere septem, quibus unus Banorum præfuerat, centuriis militum definita. Id tamen jam tunc quoque iis datum, ut cum quinis Prætoribus jus dicerent, Provinciis Magistratus decernerent, vectigalia ceteráque ad Rempublicam spectantia curarent.

Anno circiter 1200 in sublimiorem evecto gradum Banorum Magistratu, arctior eorum fuit numerus, ut non raro universorum negotiorum moles duobus, tribúsve incumberet; donec sinistris bellorum eventis imminutô magnam sui partem Illyricô, munus id commodum ab uno obiri posse censeretur. At quantum detrimenti ferro illatum turcico, tantum dignitatis Banatui accessit; nam & Pro-Regis illi cum nomine potestas, & tertius, ex quo Illyricum Pannoniæ annexum, inter Optimates Ungariæ, quos Barones Regni vocamus, locus. Neque Curiâ duntaxat togáque ejus potestas clauditur; nam & militiæ ea Bani apud Illyricos populos authoritas, ut is ducendo patrio militi Imperatoria passim potestate ab Ordinibus præficiatur. Porro Banos statuere, ùt *Szentivani* S. J. vult, apud Orientis Imperatores erat; ast, ubi imperante Ungaris Divo Ladislao Il-

lyirici Regna Pannonico adnexa fuêre, eos nominandi poteſtas ad Reges Ungariæ tranſiit, atque etiamnum perſeverat. Nequid verò detrimenti Reſpublica accipiat, ſi Banum negotia extra Illyricum evocent, ſapienter lege veteri proviſum eſt, ut Vice-Banus ſemper deligeretur, qui in dicendis juribus, aut ducendo milite Banum aut abſentem, aut morbô fortè impeditum ſublevaret. At noſtro hoc ævo præter Vice-Banum Locumtenentem Banalem curarum cum ipſo Bano participem, aut ſi ipſum Regno excedere contingat, ejuſdem Vicarium creare lex uſúſque obtinuit. Hæc de Banis in genere dicta ſufficiant, nunc ad eos, quos avara vetuſtas reliquos nobis fecit, deſcribendos accingamur.



SERIES





SERIES BANORUM SUB REGIBUS CROATIÆ.

BILITUS
Banus Croatiæ. Annô 870.

BAnos jam anno æræ Christianæ 641 institutos diximus: verùm seu scriptorum negligentiâ, seu, quòd non tanta tum muneri huic dignitas, factum est, ut nullam fere eorum memoriam ad annum 1212 habeamus. Primus, quem è ruderibus eruere licuit, *Bilitus* est (*Szentivanio Belinus*, aliis *Belitus*) ab accepta clade Historicis notus. Rem breviter accipe: Radoszlao optimo Principi filius erat Szeiszlaus ob innatam crudelitatem, & meditatam aut omnino perfectam à Christianis sacris de-

Radoslaus. *Rex Croat. A.* 870.

fectionem omnibus exosus adeò, ut plurimi pestem hanc ferro tollendam judicarent; hos inter *Bilitus* Banus tot adolescentis Principis offensus sceleribus, arma primus corripit, ulturúsque Szeiszlai crimina, impium Radoszlao bellum movet. Rex, ut scintillam ipso in exordio præfocaret, convocato celeritate maxima milite, adeò rem fortiter gessit, ut primis dissipatos refractarios certaminibus pacem clementiámque implorare coëgerit. Restitit tamen ceteris pertinacior Banus: sed ad extremum victis & iis, qui seditioso constantiores adhæserant, fugâ se imminentibus subducturus cruciatibus, vitæ reliquum vagus erro incertum ubi transegit.

SUDOMIR

Dalmat. & Croatiæ Banus. An. 912.

Gostumil *Rex Croat. Annô* 900.

SUdomirum Banum Dalm. & Croatiæ fuisse ex *Rattkaio* (*b*) aliisque discimus, quo verò anno eo magistratu fungi cœperit, quid memoriâ posterorum dignum egerit, frustra quæris: id unum refertur, eum decedente sinè liberis annô 912 Rege Gostumilo Regni Croatiæ gubernacula adiisse. Susceperat ecquidem Gostu-

(b) *Lib.* 2.

Gostumilus filium Ivanum sive Joannem, sed is alia ab terrenis Regna, thesauros alios cogitans vivo Patre eremum bohemicam petierat, vitæ reliquum in DEI obsequio, Divíque, quem nomine referebat, Joannis Baptistæ imitatione exacturus. Sanctus hic Ivanus primus in Bohemia eremi, ad quam Angelo duce perductus est, incola solitudinis locum habuit tribus Pragâ, unâ Carolsteinio Regia arce leucâ dissitum, inductis dein annô 1020 illuc Benedictinis celebrem. Plura de hoc S. Ivano scitu perjucunda si nôsse cupis, *PP. Bollandistarum* S. J. ad vigesimum quartum Junii diem acta mensis Junii Tomo 4to inspice. *Sudomirus* itaque ab obitu Gostumili Regno admotus nonnisi duos annos præfuit, quem sinè prole mascula decedentem interregnum unius, & quinquaginta annorum excepit eo ipso (si *Rattkaio* fides) tempore, quo Keanus Sclavoniam Bulgariámque gubernabat. Verùm cùm Keanum annô 1004 à Divo Stephano Ungarorum Rege cæsum communis historicorum sensus doceat, ipséque *Rattkay* Gostumilum 912 mortuum fateatur, incredibile videtur Keanum ab anno 912 ad usque 1004 id est ipsos nonaginta du-

os annos regnâsse. Malim proin cum P. *Samuele Timon* S. J. Keanum Dircislao, & Cresimiro 2do Regibus Illyrici synchronum statuere.

PRIBINA
Banus Croatiæ.

Cresimir. I. *Rex Bosnæ, Dalm. & Croat. An.* 965.

EVoluto tandem interregno, Proceres diuturnioris moræ pertæsi Cresimiro 1mo Principis Terpimiri filio, genero Sudomiri Bosnæ tunc & Dalmatiæ imperanti Regnum deferunt, sub quo *Pribinam* Banum fuisse lego. Scribit *Rattkaius* Divum Stephanum virtutibus hujus Cresimiri captum, tum etiam ut Bulgarorum Sclavorúmque exasperatos ob interfectum Keanum animos placaret, ejus filiam Divo Emerico suo filio despondisse. Sed non existimem ista Cresimiro Terpimeri filio adscribenda; utpote qui annô 994 (*c*) fatis cedens, tredecim annis priùs vivere desiit, quàm Divus Emericus in lucem ederetur. Cresimirus proin II. is erat, qui annô 1026 cum Filia sua Ducis quoque Sclavoniæ titulum Divo Emerico scribitur detulisse. Fugerat opinor, quod pronum in rerum veterum monumentis, *Rattkaium* tres fuisse Croatiæ Cre-

(c) *Contin. Mensis Chrono.*

Cresimiros, hinc, quæ diversis accidêre, uni attribuit. Addit *Orbinus* Ungaros jure matrimonii Emericum inter & Principem Croatam initi, Croatiam sibi vindicare Banósque ad Regnum administrandum mittere voluisse. Verùm nobilis ea gens externi jugi dominationisque impatiens sibi de suis Rege dicto, Ungarico imperio se subtraxit.

SVETOSLAUS ET GOISLAUS.
Bani Annô 1000.

CResimirus primus annô partæ salutis 994 vivis ereptus, Dircislaum filium habuit successorem, qui sinè liberis 1000 annô decedens Cresimiro 2do fratri suo sceptrum vel invitus reliquit. Banos tunc *Lucius* censet *Svetoslaum* & *Goislaum*. Quid verò Bani hi egerint, scire non lieuit, nuda duntaxat nomina ex Cresimiri III. dicti Petri Chyrographo quodam protraximus.

Cresimir. II. *Rex Dalm. & Croat. A.* 1000.

S T E P H A N U S
Banus, & Jadræ pro Impp. Græcis Gubernator. Annô 1018.

FUit *Stephanus* vir adeò munifica in Superos pietate, ut ab hac posteris commendandus meritò videatur. Manifestum

festum id ille fecit insigni erecto, & ditato Jadræ templo, quod complurium Divorum honoribus sacrum multiplici supellectile locupletavit. Placet hic litteras rei totius testes adferre, quas *Lucius* in archivo S. Chrysogoni repertas à se memorat; sic autem habent:

*In nomine Domini Nostri JESU Christi. Ego S. Banus fabricavi istam Ecclesiam ad honorem S. Nicolai Confessoris Christi, & S. Petri Apostoli, & S. Stephani Pont. & B. Dimitri Mart. & Magni Grisogoni Mart. nec non & BB. Genitricis Mariæ, atque omnium Sanctorum Christi, cum conjuge mea Maria fabricavi eam sub temporibus B. Constantini Monomaci. Ego denique S. Banus Imperialis Protospatarius complevi hæc omnia intrante anno Domini mil. octabo * decimo Indictione ** XXII. *Incipiente anno* X. *de propria mea facultate laboravi eam, & dedi in eam* XV. *panno de serico, &* IIII. *paria de bracilo, &* IIII. *manipulos,* IIII. *Stolas,* VI. *Camiso,* IIII. *amictos,* IIII. *cingulos, unam cupam, unum coclea-re,* I. *fistula de argento.* III. *Cruces, unam de argento, filacteria* III. *de auro, &* III. *de argento, unam capsam, &* I. *turibulum, &* II. *Calices de argento.* III. *libros*

Missa-

Missales, I. *passionario*, III. *Omelia*, *Smaragdum unum*, *duo antiphonaria*, II. *manicale*, *spalterium* III. *Imnacia* II. *Brebiarium unum*, *duos cerestata*, I. *sellam*, I. *pario de bracili*, III. *facinegia*. *Dedi etiam unam curtem*, *quæ cognominatur Insula*, *cum Ecclesia S. Pet.* & *cum* VI. *servos*, & IIII. *ancillas*, & *alia Curte*, *quæ vocatur nova sella*, *cum duodecim familia*, & *tertia Curte*, *quæ dicitur Butinaviso*, *cum octo familias*, *dedi* XX. *jumenta*, *cum* II. *equos*, & XXX. *Vaccas*, & CCCC. *pecora*, & XXXII. *porcos*, *posui etiam* III. *Campanas*, *quæ sunt apretiatæ* I *libram de auro*. *Hæc omnia* & *cum ipsa Ecclesia trado in potestate D. meo Patri spirituali Trasoni Abbati*, *ut sit in perpetuum Cella S. Chrysogoni*, *cujus sacratissima membra Jadræ retinentur*. *Et si quis* (*quod absit*) *ausus fuerit subtrahere ex meis*, *vel extraneis moriat de Ramato*, & *habeat semen super terram*, & *persolvat auri libras* XXX. *Insuper iratum habeat Patrem*, & *Filium*, & *Spiritum Sanctum*, & *maledictionem à* C.C.C.X. & VIII. *Patres*, & *in novissimo Maranatha cum diabolo*, & *ejus teetris Angelis*, *ac Juda Scariothe in Inferno*

no numeretur, & hac Cartula volumus, ut in sua maneat firmitate.

Et ego Marco Judigo Episcopus Croatensis collaudo, confirmo, corroboro, atque concedo. (*d*)

Mendosum quidem scriptum hoc apparet, præsertim cum donationem annô 1018 factam referat, quod tempus cum annis Monomachi anno 1042 regnare incipientis omnino non congruit; adduxi tamen, quia sacram, quæ tunc in usu, suppellectilem recenset. Id ùt ùt sit, Banum hunc *Timon* annô 1018 Jadram pro Impp. Græcis gubernâsse scribit, quam tamen Otto Venetiarum Dux cum ceteris Dalmatiæ civitatibus sibi reddidit vectigalem. Idem illud S. Chrysogoni archivum meminit *Godemiri* Bani Jadræ nomine Impp. Orient præfecti, cujus Soror Eleniza Monasterio S. Chrysogoni quædam annô à Christo nato 1029 dedisse perhibetur. Nec plura de hoc invenias, uti & de compluribus aliis, quorum nomina sola adduxisse hic sufficiat, ídque unum cum Salustio queri: *Majores nostros facere, quàm dicere, sua benefacta laudari ab aliis, quàm aliorum laudare maluisse.*

Sub

(d) *Lucius Lib. 2. c. 8.*

Sub Stephano proin Cresimiri II. filio ac patris apud Venetos quondam obside atque annò 1052 fatis functo Bani fuêre: *Varda*, *Bozethare*, *Stephanus*, *Prasca*.

Sub Cresimiro III. dicto Petro, qui regnare annô 1052 orsus, vitam cum regno annô 1073 posuit, Banos *Lucius* memorat: *Lubomirum*, *Goyzonem* vel *Geyzam* annô 1059. *Petrum*, quem annô 1062 Dalmatiæ pro Græcis præfectum alibi lego. Item *Zvvonimirum*, quem nostri *Zolomerum*, annò 1070, de quo plura infrà.

Decedente annô 1073 Cresimiro III. Slavizo Regnum adiit; sed diversis Banorum factionibus perturbatum; *Zvvonimirus* quippe Banus Cresimiri Petri, ùt nonnulli arbitrantur, filius præreptum sibi à Slavizone Regnum dolens, turbis miscebat omnia, quò factum, ut Slavizo ab Amico Comite captus Regno simul & libertate annò 1074 privaretur. Hic ille Slavizo est, quem *Rattkaius* ex fragmento quodam *Constantini Porphirogentia* Miroszlaum vocans, à *Privnio* Bano Sclavoniæ vitâ privatum narrat. Nulla tamen apud *Lucium* sublati per vim Slavizonis mentio, discordias dun-

taxat

taxat quaspiam inter Regem Banúmque *Lubomirum* ortas generatim persequitur, *Petro* dein Bano præsente Spalatensi in urbe compositas.

PAULUS

Croatiæ Banus. *Annô* 1076.

Zwonim. Demetr. *Rex Dal. Croatiæ.* 1075. ANnus agebatur 1075, quo Zwonimirus diu ambitam Croatiæ Dominationem consecutus, in eadem insequente mox anno missâ sibi à Gregorio VII. summo Antistite per Legatos præter Vexillum, Ensem, Sceptrum, Coronâ in synodo fuit confirmatus. Negotium id à Gregorio Gebizoni Abbati SS. Bonifacii & Alexii datum fuit. Tanto favori ut gratum se exhiberet Zwonimirus, aliis Suinimirus etiam, ducentorum Byzantinorum tributum S. Petro in singulos annos ipsis Resurgentis Domini feriis se missurum promisit. Ad Bul-
1079 garos dein sibi subjugandos adjiciens animum, universis copiis *Paulum* Croatiæ Banum præfecerat; sed is oblata hac opportunitate usus, incertùm qua de causa ab Rege defecit, totâ Croatiâ dolis partim, partim aperta vi subactâ. Nec


tamen

tamen hìc modum posuit dominandi cupiditas; acceptis proin in societatem belli Rausciis Chelmíque Comitatu domito, Rasciæ ipsi exercitum admovit. Sed nempe hìc sua hominem felicitas deseruit; Stephanus quippe Cæcus Rasciæ Rex numeroso instructus milite importunum hospitem à Regni aversurus limitibus, tanta eum clade affecit, ut Zwonimirus comparatis è Dalmatia copiis *Paulum* ad pacem petendam facilè compulerit. (*e*) Forsan hìc ille *Paulus* est, quem *Baronius Vezelinum* Ducem vocans à Gregorio summo Pontifice per litteras monitum refert, ut arma adversùm Demetrium sumpta poneret; nî faxit, ab communione Ecclesiæ rescindendum. Obiit Zwonimirus annô 1087, post quem in veteribus instrumentis Stephanus Rex Dalmatiæ reperitur; sed vel immaturo fato éreptus, vel pro legitimo non habitus. Mortuo verò Zwonimiro sanctum Ladislaum Regna Croatiæ, & Dalmatiæ occupâsse communis scriptorum fert opinio: de modo inter eos non convenit; jure namque belli

Croa-

(e) *Rattkay Lib.* 2.

Croatiam aquisitam *Thomas Archi-Diaconus* Spalatensis narrat, *Rattkaius* à Lepa S. Ladislai sorore, & Zwonimiri thori socia hæreditate eidem Divo Regi vult obtigisse. Nolim ego in re tam veteri, & controversa judicem agere.



SERI-



SERIES BANORUM SUB REGIBUS UNGARIÆ.

PETRUS *Dalmatiæ Banus.* 1096.



Ublato, magno omnium mærore in finibus Moraviæ, annô 1096, Divo Ladislao, Colomanus rerum potiebatur. Turbavit ipsa regnandi initia *Petrus* Dalmatiæ Banus, quem ut Colomanus ad officium revocaret, ducto per Valeriam Ungarorum exercitu iisque omnibus, qui Dravum Savúmque accolunt, sibi adlectis cum refractario *Petro* editissimo in monte Petergazdia dicto manus conseruit, cæsique *Petri* sanguine rebellionis flammas intra an. 1096 & 1102 restinxit. Dubitat hic *Timon* (*f*) num *Petrus* in Dalmatia an Croatia cæsus fuerit, cùm Petri mons in

Colomanus *Rex* 1096.

(f) *Synop. part.* 1.

in Croatia quoque inveniatur. *Dandulus* quidem Dalmatiam nominat apud *Lucium:* (g) *Hoc tempore Colomanus Rex Ungariæ misit exercitum in Dalmatiam, & occidi fecit Regem Petrum* : quid tamen vetat turbas in Dalmatia cientem *Petrum* exercitui Regio occurrere in Croatia pugnámque committere potuisse.

ANONYMUS
Banus. 1116.

Steph. II. *Rex* 1115. REfert ad annum hunc *Dandulus*, nescio, quem Banum ab Ordelapho Venetorum Duce copiis Henrici occidentis, & Alexii Orientis Impp. adjuto in fugam 2do Kalend. Julii actum, multósque Ungarorum Nobilium, qui Jadram obsidione soluturi advenerant, captos & debellatos. Fuso exercitu nostro Sibenicóque diruto, Spalatum quoque, & Tragurium in hostium potestatem venit. Nec mitiorem sortem experta Jadra, quam Ungari, tot sociorum cladibus territi, relictam Veneto tradidêre.

BELA
Banus Dalmat. 1142 *& antea.*

Geyza II. *Rex* 1141. MAgna *Belæ*, vel *Beli* Geyzæ II. avunculi apud scriptores (*h*) commen-

men-

(g) *Lib.* 3. *c.* 3. (h) *Bonfin. lib.* 6. *& alii.*

mendatio: præclaram certè illius fortitudinem militari conjunctam ſcientiæ pugna ad Fiſcham amnem cum germanicis Henrici Imperatoris copiis inita orbi manifeſtam fecit. Imminebat formidando inſtructus exercitu Ungariæ Henricus, & quia Geyzam admodum adoleſcentem belli imperitum putabat, totam ejus ditionem facilè à ſe ſubjugandam rebatur: at Geyza periculi magnitudine admonitus, jámque Poſonium dolô interceptum videns, copias & ipſe contrahit, &, ne cum hoſte intra Regni ſui limites dimicare cogeretur, prior ipſe inimicæ tum Auſtriæ ſigna infert. Procedebat Ungarus quadrato agmine velut ſi continuo ſub conſpectu haberet hoſtem; aciéque ità ordinata, ut duas velitum alas in utroque cornu productas clauderent à tergo cataphracti, in medio pariter cataphractorum agmen conſiſtens duplici ad latera peditum ordine muniretur: poſt univerſos verò prætoriani conſiſterent, ad omnem pugnæ eventum comparatus ibat. Nec ſegnior in ſuis ordinandis Henricus non multò pòſt copiam pugnandi fecit, adeóque ſtrenuè à Germanis res agi cæpta, ut velites Ungarorum Beſſi & Scytuli (fuêre ii Thraciæ

Ponto vicinæ populi) ſeu Teutonum proceritate, quos equorum moles majores faciebat, territi, ſeu reipſa vim non ferentes fugam reſpectarent, & turbatum fuiſſet non parùm; niſi Banus mediæ aciei Dux datus adducto veterano equite in hoſtem fortiter illatus dum Regiis animos addit, hoſtium infregiſſet. Animatus quippe Ducis exemplô miles, atque dum Germanus (ùt *Bonfinius* refert) maledictis Ungaros proſcindit, JESU & MARIÆ nomina invocans eo ardore pugnam iniit, ut Germani primùm nutantes in apertam denique fugam ſe conjicerent. Cæſa in eo campo Germanorum ſeptem millia, quos inter Bavarorum pars maxima, tria Ungarorum deſiderata. Præmium victoriæ Poſonium receptum fuit, longáque pax à Germanis; Henricus namque bene mulctatus ſua cuſtodire malebat deinceps, quàm alienis inhiare. Hæc Banus in Ungaria; nam de Dalmaticis nihil occurrit; præterquam quòd Dalmatas Regiis ditaverit immunitatibus, ſuáque prudentiâ in Regis obſequio continuerit. Virum certè ſingularibus dotibus ornatum fuiſſe oportet, utpote qui anno 1156 ex Bano Palatinus Ungariæ factus utiliſſimam in adminiſtranda

Repu-

Republica Regi operam impendit, quem annô ſalutis humanæ 1160 fatis functum Albæ Mauſoleo Regum intulit, indictíſque eodem anno comitiis Stephanum III Geyzæ filium in throno collocavit. Nec diu tumulato uni, alteri inaugurato ſuperfuit *Belus* noſter, vitæ & ipſe ac Regno ereptus.

ANDREAS
Dalmat. Banus 1198.

POſt Belam Banum, quem *Rattkay Anonymum* vocat, in nullum ſe Banorum uſque ad Benkonis tempora incidiſſe cum eodem *Rattkaio Szentivani* fatetur; in Decreto tamen Andreæ Dalm. Croat. Ramæ & Culmæ Ducis, Fratríſque Emerici Regis Ungariæ, in quo Pharenſis Epiſcopatus Michæ cuidam Canonico Spalatenſi Nepoti Picii confertur, Banus *Andreas*, & Comes Andronicus Bani filius, Milka verò Ducis Aulæ Notarius nominatur: *(i)* eundémque hunc *Andream* Banum Judicem controverſiarum, inter Latinos & Slavos Dalmaticarum Civitatum ab Andrea Duce annô 1200 datum exiſtimo. Emericus *Rex.* 1196.

(i) *Luci. Lib.* 3. *Cap.* 13.

PETRUS BENKO,
Banus Sclavoniæ. 1217.

Andreas II. *Rex.* 1204. DUm Andreas II sacra, quam annô 1217 susceperat, expeditione distineretur, Ungariæ vicaria potestate præerat *Benko* Banus, *Lipsio Banchanus* (*k*) homo tum rerum gestarum magnitudine, tum disciplina militari nobilitatus. Habebat is uxorem formâ spectabilem fæminam, at pudicitiâ, fidéque conjugali multò illustriorem: Accidit fortè ut Reginæ Gertrudis, filiæ Bertholdi an Bartholomæi Mæraniæ, Istriæ &c. Ducis, Frater, qui sororem visum venerat, ejus amore captus, usque eò ab illicito æstu se abripi pateretur, ut non inscia imo juvante Regina integerrimam matronam corrumpere non horreret. Verùm infelix adolescens abominando hoc, ac, si uspiam gentium, apud Ungaros certè execrando scelere non pudorem modò *Benkonis* Conjugi, sed & vitam Gertrudi sorori eripuit; *Benko* quippe rem omnem ubi ex uxore lacrymis diffluente didicit, amicos convocat, quídque facinoris animô conceperit, edocet, alteróque mox à commisso scelere die sub meridiem arma-

(k) *In monit. polit. titulo de Justit.*

armatus in Regiam paucos ſecum eóſque fideliſſimos ducens, irrumpit, Gertrudémque prandentem ùt reperit, non longâ morâ factâ dolore pariter, & ira ſtimulantibus exprobans ſceleris immanitatem, novo crimine crimen vindicatu- 1219.
rus, anxiè trepidantem trucidat. Idem fatum manebat & adulterum, niſi is, incertùm qua cauſa, die illo aulâ abſtinuiſſet. Non potuit ità celari Reginæ cædes, quin continuò totum palatium pervagaretur; tumultuatum non nihil propterea, corruſcantibúſque quaquaversùm gladiis mors Bano intentata, verùm *Benko* reddita iis, quos metuere poterat, facti ſui ratione incolumis domum ſuam petiit admirantibus tantam audaciam cunctis, neque ſeverius quidquam in hominem magna apud omnes authoritate pollentem ſtatuere audentibus. Quia tamen inſidiis ſe ab adulteri Gertrudíſque amicis captandum præviderat, conſilium init periculi, ùt apparebat, pleniſſimum; ſumpta namque famulorum manu ad Regem ipſum in Aſiam proficiſcitur, cauſam ſuam apud Principem Juſtitiæ amantiſſimum acturus: hunc ille in Syriam tendentem ùt reperit, expoſita, adventûs ſui causâ rem totam ex ordine

percenſet, útque Gertrudi Reginæ violentas manus intulerit, ſinè fuco enarrat. Exhorruêre ad tam audax facinus comites Regii, ſolus Andreas immoto vultu perſiſtens redire *Benkonem* jubet, Regnóque, ut adhuc, præeſſe, ſe, ubi DEO auſpice Ungariam reviſerit, de re tota cogniturum, túmque aut innocentem dicturum Banum, aut, ſi injuſtè Reginam cæſam comperiſſet, meritis ſuppliciis affecturum. Rediit ſub hæc Banus cúmque eo duo Legati ab Andrea miſſi, quibus mandatum à Rege, ne quid ſe abſente acerbiùs in Banum ſtatueretur.

Exacto in Judæa triennio, ac reportata inſigni de Sultano Ægyptiorum victoriâ Rex in Pannoniam reverſus *Benkoni* diem dicit, cúmque diſputaretur inter Proceres in rem utramque copiosè, ſuſpenſis in rei eventum univerſis Rex uxorem ſuam jurè cæſam videri pronuntiavit, quæ inaudito Ungaris ſcelere Regiam polluiſſet. Ità Regis ſententiâ ſervatus *Benko*, agros & bona, quæ Reginæ amici dirripuerant, recepit, uxorem & amicos recipere non potuit; dum enim Regem in Syriam ſequitur, nonnulli è Gertrudis clientela, quem in Banum effundere non poterant, in ejus domo & famí-

familia Budæ relicta furorem explevêre, neci datis cum uxore filiis, sangvine junctis aut cæsis, aut fugatis; rediêre tamen postremi cognitâ Regis de *Bankone* sententiâ.

BANFFIUS BAZADUS,

Banus ante annum 1233.

B*Anffius Bazadus* incertùm cujus anni aut Regni Banus, annô 1233 Institutum Divi Dominici amplexus, ac postea à Tartaris cæsus miseram hanc vitam cum felicissima anno 1240 commutavit. Institutorem Sanctus hic ordo Divum Dominicum habuit; in Ungaria verò eo primùm anno visus est, quo Divus Fundator vivere desiit nimirum 1221. Primas Colonias Jaurinum accepit ductore M. Paulo Ungaro Juris Canonici ejusdem Familiæ Professore. Quinquennio post Leopoldus Dux Austriæ eidem Ordini accitis ex Provincia Ungarica sociis nobile Viennæ cænobium construxit. (*l*)

(l) *P. Timon Synop. Nov. Chronol. parte prima.*

EMERICUS BEBEK,

Dalmat. & Croatiæ Banus.

Bela IV. *Rex.* 1236. PRiùs quàm de Banis, quos ſub Bela IV fuiſſe reperimus, quidpiam adducamus, juverit nonnulla ex *Timonio* in hanc rem attuliſſe; ſic autem ſcribit: (m) *Ungariæ Reges Belam* IV *ſequentes ducem, Dalmatiam, Croatiam & Sclavoniam peculiarem, uno nomine vocabant Sclavoniam, Præfectósque omnium trium earum regionum Banos totius Sclavoniæ nuncupabant: quod ſervabatur, etiam poſtquam Carolus* I. *Croatiæ & Dalmatiæ, peculiares dedit Præſides, potiórque erat illorum, quàm horum authoritas. Sclavonia autem propriè dicta raro admodùm ſuos habuit Præfectos. Hæc diſcrimina ſi explorata fuiſſent Georgio Rattkaio, ne ille feliciùs proceſſiſſet in deſcribendis Banorum rebus.* Hactenus ille. Primum ſub hoc Bela Dalmatiæ, & Croatiæ Banum nihil de Sclavonia addens *Emericum Bebek Rattkaius* collocat, ídque ex veteribus Regni literis ſibi notum aſſerit; neque tamen aut literas, aut annum refert.

AL-

(m) *In imagin. nova Ungar. c.* 17.

ALBERTINUS
Dux Sclavoniæ. 1240.

ANnô 1240 (*n*) ùt docent literæ à nobilissima Ursina, vel Blagiana gente asservatæ, Sclavoniam titulo Ducis *Albertinus* Comes Poseganus tenuit, magnus vel ex eo, quia Stephani V. Ungarorum Regis Avunculus.

DYONISIUS
Banus & Dux Sclavoniæ. 1341.

ANnus agebatur supra millesimum ducentesimum primus & quadragesimus, cùm Battus Scyta innumera Tartarorum multitudine Ungariam inundans, ea nostros clade affecit, ut ad Pestum dierum aliquot præliis centum & amplius milia desideraremus. Rex equo à barbaris interfecto certum vitæ periculum adierat, periturus haud dubiè, nisi Andreas Forgachius suum contempto discrimine offerens, Regem à præsenti interitu vindicâsset Elapsus cum paucis Bela in arcem Znioviensem ab eodem Forgachio in Turoczensi Comitatu exstructam venit inde cum familia sua Poloniam petiturus. Sed enim Boleslaum Prin-

(n) *P. Timon ibidem.*

Principem generum ſuū cum matre ejus, Grimislava, & filia ſua pari calamitate oppreſſum in Ungariæ limitibus reperiens, hoſpitium, quod rogare voluerat, ipſe præbuit. Mox Poſonium prioribus annis à Joanne Abbate Piliſienſi ſecuritatis Regiæ causâ munitum progreditur; ſed nec hic tutus, quin à Friderico Auſtriæ Duce in quadam Auſtriæ arce captus, tribus, utì appellamus, Comitatibus Auſtriæ adjacentibus multóque argento pariter ac auro libertatem redimere coactus fuit. Præmiſerat jam antea Mariam Reginam cum filio Stephano bimulo, oſſibúsque D. Stephani Regis multorúmque Templorum theſauris Spalatum in Dalmatiam, quo & ipſe libertatem conſecutus annô 1242 contendit; verùm nec ibi conſiſtere auſus, Cliſſam Traguriúmque petens in inſulis demum Dalmatiæ velut è portu barbaram illam procellam non ſine horrore proſpectabat. Inter ſuperſtites à clade & fugæ Regiæ comites fuit quoque Banus, & Dux totius Sclavoniæ *Dyoniſius* natione, ùt *Archi Diaconus Spalatenſis* vult, Ungarus, cujus virtus ſub initium tartarici hujus belli ad fluvium Sajó luculenter probata, Venetis quoque Jadræ tum obſiden-

dæ,

dæ, quæ ad Belam recens defecerat intentis, non parum negotii facessivit. Audita quippe illi Jadrensium defectione Reinerum Zenonem cum majoribus sex & viginti, vicenis aliis minoris molis navibus ceteróque apparatu bellico ad oppugnandam Urbem misêre annô 1243. Atque usque eò jam processerant, ut perfractâ vastæ molis catenâ, quæ hostilem classem à viciniore aditu prohibebat, urbi ipsi navigia admoverent. Præerat loco *Dyonisius*, cúmque Ungaricis & Sclavonicis copiis oppugnantium vim ad decimum diem eludebat, cùm fortè sagittâ ipse ictus extra urbem à suis deferri se jubet, valetudinem curaturus. Perculit ea res Jadrensium animos, qui Ducem mortuum arbitrati, cum sine Ungarorum præsidio satis tutos se non esse scirent, certatim, quà quisque potest, elabuntur, Venetúsque animadversâ civium trepidatione scalas muris admovens, paucis resistere ausis, vi denique ejusdem anni 1243 2da Junii Urbe potitur. Jadrenses patriâ extorres, qui propria turpiter amiserant, multò fædiùs alienis inhiantes pars mare infestis navigiis percursabant, pars ducibus Comitibus Breberiensibus adversùm Spalatenses

ſes Tragurinis adhæſerant. Crevêre mutuæ hæ geminarum civitatum ſimultates, poſtquam Spalatini à Minoslao Boſnenſi Bano adjuti facta in agrum Tragurinorum procurſione 200 cives captos abduxerunt. Redierat jam Bela in Ungariam, unde *Dyoniſium* Banum cum Bartholomæo Quinque-Eccleſienſi Præſule in Illyricum proficiſci, rigidámque de Spalatenſibus vindictam ſumere jubet. Verùm rem blandis verbis tentaturus Banus, cùm nihil proficeret, minas adhibere placuit, exuſtóque ſuburbio cives ad deditionem annô 1244 cogere. Uberiùs, hæc in Chronico Patriæ, quod nobis inſpicere non licuit.

STEPHANUS
Banus Sclavoniæ. 1245.

LAdislao, neſcio cui, Bano Sclavoniæ ſurrogatur *Stephanus* aliis Stepco, affine nomini Stepho, quod Slavis Stephanum notat, vir à probitate & juſtitia per literas 2do nonas April. Vaſcâ datas à Rege Traguríenſibus commendatus. (*o*) Et magno certè Illyrici bono à Rege datus videtur; namque mutuis offenſionibus Spalatenſes inter, & Traguríenſes, Sibe-

(o) *Luc. Lib.* 4. *c* 9.

Sibenicenſes, Jadrenſes, & Arbenſes ſopitis, commercia quoque, quorum uſus interciderat, terrâ marique revocavit, & littus continentis, deſertum nova civitate condita excoluit, Arbenſibus primis in eam coloniam deductis: ob eam rem ne quid à Venetis turbaretur, eas leges novis civibus rogavit, quæ nec Reipublicæ Venetæ damni quidpiam accerſerent, nec Ungariæ emolumentis incommodarent. (*p*) Condidit verò civitatem hanc ad radicem montis Jablanich eadem libertate, qua Tragurium Sibenicum ceteræque maritimæ Croatiæ civitates, fruituram: Civitati arcem in monte adjecit, Rege Bela, cujus honori ſtruebatur, digniſſimam. Compoſitis, utì meminimus, occidentali in parte diſſidiis redditáque inter Dalmatas & Croatas navigatione, in eam quoque Croatiæ partem, quæ orientem reſpicit, curas ſuas felici eventu tranſtulit; nam & Comites Caciclios Almiſii Dominos injuſtè ablata Traguriensibus reſtituere compulit, & 1256.
Jadrenſes duobus pòſt annis pacem cum Aconitanis colere præcepit. Ità providentiâ illius res terrâ marique pacatæ. Verùm à morte *Stephani* in priora illico diſſi-

(p) *Ibidem.*

dissidia itum, ut pateret ab uno hoc viro universi Regni pacem profluxisse. Huic *Stephano* ceterisque Fratribus de gente Subich Comitatum Breberiensem jam antea ob præstita adversùm Tartaros ceterósque hostes auxilia donatum idem Bela annô imperii sui sexto & decimo confirmavit neque tamen satis à se tam illustri viro factum existimans, nisi ad reliquas dignitates Ducatûs quoque Styriæ, quam Ottocaro, adjuvante plurimùm nostro *Stephano*, eripuerat, Præfecturam annô 1254 adjecisset, qui titulo Capitanei eam gubernans dedit Græcio Styrorum urbe ad Regem litteras (*q*) luculentas testes non Petovium duntaxat, sed Græcium etiam Belæ potestati paruisse.

COMES BUTTECO
Maritimus Banus. 1259.

FUsè ex variis literalibus instrumentis pertractat *Lucius* (*r*) Almiensium pyraticam, qui inita cum Polizzanis sive Caciclіis montem Massarum accolentibus societate, excussô Regiô imperiô omnem adriatici maris oram infestis navigiis percursabant. Rex pacis boníque publici studiosus variis eos artibus ad

(q) *P. Timon in Nov. Ung. c.* 17. (r) *L. 4. c. 9.*

ad officium revocare moliebatur; ſed cùm ludi ſe videret, aperta tandem vi ſtatuit impetendos. Induunt proin arma vicinæ civitates, Comésque *Butteco* cum Vuidone Comite Veglienſi, & civitate Spalatina fœdus iniens, ſe non niſi obtenta maris quiete ab armis diſceſſurum jure-jurando ſpopondit.

IVACHINUS
Sclavoniæ Banus. 1271.

Steph. V. *Rex.* 1270. Ladisl. IV. *Rex.* 1272.

Ivachinum vel *Joachinum* de genere Subich comitem Breberienſem & Spalatenſem annô 1271 Banum Sclavoniæ fuiſſe teſtatur *Lucius* in Genealogia familiæ Subich. Meminit quoque ejusdem Ladislaus V. in epiſtola ad Tragurienſes data, in qua præter cetera mandat civibus, ut in ſua Banique *Joachini* fide conſtantes perſeverent. *Stanoyus* verò, qui cum Almiſienſibus pyraticam rurſum exercentibus Henricum Epiſcopum Cephaloniæ ſpoliaverat, etſi in quodam manuſcripto Banus *Stanoy* vocetur, nulli regioni præfuit, ſed à pyratis duntaxat in Ducem electus 1273; quo eodem anno in diplomate Ladislai Regis Cuni vocitati, Laurentio Comiti Sopronienſi pagum quemdam annô Re-

gni ſui primò, Chriſti 1273 donantis, inter Proceres nominatur & Banus Sclavoniæ *Matthæus.*

Matth. *Banus Sclavon.* 1273.

PAULUS SUBICH
Com. Spal. Banus Maritimus. Horvat. Dalm. & Dominus Boſnæ 1275.
Nicolaus verò ejus Frater *Dalmatiæ & reliquæ Croat. Ban.* 1275,

COmiti Stephano ſeu Stepconi ejúsque Fratribus Comitatum Breberienſem, à quo & nomen traxêre, à Bela datum ſuprà commemoravi; ſed poſteri Stephani, inter quos *Paulus* & *Nicolaus* fratres Bani, divitiis pollentes, ac propterea ſuperbiâ elati, dum res in Ungaria turbantur, ipſi quoque nimia dominandi libidine ſe maritimis civitatibus graves faciebant. *Paulus* certè, Boſnæ quoque Domini títulum poſteà conſecutus, nihil infra Regem agebat. Almiſianorum quoque pyratica annô 1285 renovata Breberienſes Comites non fautores modò habuit, ſed prædæ etiam teſte *Lucio* participes. Navalibus latrociniis terreſtria adjungere placuit Spalatinisque bellum indicere, quos ut certioribus cladibus *Paulus* afficeret, Tragurienſes

ar-

arma ſumere, atque à ſuis eſſe partibus coëgit. Et verò ſuſpecta jam Venetis ipſis eſſe cœperat Breberienſium potentia: unde fœdus cum *Paulo* Bano ejúſque fratribus ſanciunt, Almiſianos hac ratione à Comitum Breberienſium protectione erepturi: quieti maris ut conſulant, an ut latiùs in Dalmatia dominentur. Ladislaus quippe Rex inſanis indulgens amoribus oram adriaticam negligebat; quo in pugna Kőrőſzegienſi à Cumanis interfecto, Pontifex rejectô Andreâ III Carolum Martellum Mariæ Ladislai Sororis filium adnitente Carolo ejus Patre, per Legatum ſuum ritu ſolemni in Regem Ungariæ, reclamantibus Pannoniis Proceribus, Neapoli inauguravit. Agnovêre Regem Carolum *Paulus* Banus & Comes Mladinus frater, cúmque iis Dalmatiæ civitates. Deſciſcente ab Andreæ fide *Paulo*, continuò ab eodem Rege in Ungaria Banus alius ſubrogatur. *Euſtachius* forſan is fuit, quem *Rattkai* ad annum 1299 in numero Banorum Sclavoniæ reponit. Eodem annô, quo *Paulum* à fide Regia diſceſſiſſe diximus, *Nicolaus Frangipan* quondam Banus & Comes Breberienſis Nazarethanâ ſacrâ Æde in Picenum migrante, ut luctum

1287. 1290. Andreas III. *Rex.* 1290. 1294. Euſtach. *Sclavon. Banus.* 1299.

populi ex tanti thesauri amissione utcunque solaretur, nobile in monte Tersactensi Magnæ Dominæ Templum condidit. Sed ad *Paulum* redeamus. Mortuô sub annum 1295 Carolo Martello spes erat Dalmatiam ad Andreæ fidem redituram; verùm hic de quo agimus
Joan. & Henricus *Bani Cr.* *Paulus*, *Joannes* item & *Henricus* Croatiæ, si *Bonfinio* fides, Bani, Henricique Comitis Ginsiensis filii novum à Bonifacio VIII Pontifice Regem postulant. Carolus is Robertus seu Carobertus erat nepos Caroli II Siciliæ Regis, filius Caroli
1300. Martelli, qui à Comite Georgio *Pauli* Bani filio Spalatum primò Augusto mense, mox ab ipso *Paulo* Zagrabiam deductus Magistri Hugrini (hoc enim titulo viri illustres in Ungaria afficiebantur) curæ committitur, inde Ungariam petiturus, cujus adventu cognito Andreas Rex Budæ in morbum incidit, nec multò post decessit, consuetâ ibidem magnificentiâ terræ mandatus. Ungari Proceres præsentiâ Caroli nihil territi Wenceslaum Bohemiæ Regem sibi præficiunt, huicque annô 1304 Ottonem Bavariæ Ducem substituunt, quo demum turba-
Carol. I. rum pertæso, atque annô 1309 in Bava-
1310. riam revertente, Carolus I. tot annos frustra

ſtra expetito ſolio admovetur. Ad primum confirmati ab Ungaris Caroli nuncium Jadrenſes ab Venetis deficientes ſe *Paulo* Bano tradidêre: iniit ea re *Paulus* apud Regem gratiam ſingularem, qui illi non modò Banatûs dignitatem, ſed vetera etiam Belæ Regis privilegia confirmavit. Nec ingratum ſe *Paulus* exhibuit recuperatâ súbque imperium Regis adductâ Boſniâ, quam Stephanus Regulus Raſciæ annô 1291, turbis Ungaricis in ſuam rem uſus, eripuerat; At *Paulus* Seniô confectus, ut vel poſt mortem viveret, quaternos filios reliquit, intérque eos Mladinum gemini Banatûs, Boſ- 1312.
næ ſcilicet & Croatiæ hæredem. (*s*)

MLADINUS
Banus Croatiæ. 1312.

VEneti Jadram recuperaturi accito in belli ſocietatem Dalmaſio Cathalo- 1313.
nienſi quindecim advecti navibus ad Nonam Urbem, aliis Ura dictam, egreſſu facto terreſtri itinere Jadram petunt. Accurrit cum Sclavonicis Theutonicisque copiis *Mladinus* obſeſſæ Urbi futurus auxilio; ſed cùm ferro parùm ſe proficere

 ad-

(s) *P. Timon in Synop. Nov. Chron. part.* 2.

adverteret, aurô rem tentare placuit, traductóque in ſuas partes Dalmaſio hoſtium vires imminuere. Nec ſecùs, ac ſperavit, evenit; Dalmaſius enim duobus aureorum florenorum millibus allectus, explicatis ſignis, velut ſi in hoſtem iret, aſpectante Veneto Jadram ingreſſus, *Mladinum* lætititiâ, hoſtes inopino ſtupore affecit. Nîl ultrà tentaturi erant Veneti; ſed metuens *Mladinus* ne poteſtas ſua à Rege recentibus in Ungaria relatis victoriis formidando imminueretur, inſigni levitate Jadram Venetis reddidit, pacéque inita, ut Jadrenſès jure ſuo agerent, Venetorúmque non ſubditi, verùm ſocii eſſent, facilè impetravit. In Venetorum amicitiam receptus adeò omnia ex libidine agebat, ut crudelitate illius, quam recenſet *Michas Madius* (*t*) ejus temporis ſcriptor, offenſi Tragurienſes & Sibenicenſes primi Duce Paulo ejuſdem Mładini fratre 16 Januarii adversùm
1322. Tyrannum arma ſumpſerint. *Mladinus* ut vicem redderet, agrum Sibenicenſem ingreſſus ferro ignéque vaſtat omnia, ipsique civitati exercitum admovet. At videns aperta vi nîl ſe proficere ad dolos converſus data fide publica Saracenum

(t) *cap.* 17.

num Michaëlem, cum filiis Eliæ Radonaverii evocatos, velut si de pace acturus cum iis esset, homo in Superos hominésque injurius crudelissimè mactari præcipit. Edocti alieno malo ceteri Dalmatiæ & Croatiæ Proceres unà in Tyrannum conjurant, Ducéque *Joanne Babonich*, qui motô Magistratu *Mladinô* Banus dictus erat, campestri cæsum prælio Biischam usque fugere, receptô eodem impetu Almisô & Scardonâ coëgerunt. Perlatæ erant eædem ad Regem Carolum querimoniæ, qui in Illyricum veniens, accersitum *Mladinum* vinculis primùm coërcet Tininii, tum secum in Ungariam abducit. *Rattkaius* Zagrabiæ detentum, ac demum incertis sedibus errantem ad preces Divi Augustini Zagr. Episc. à Traguriensibus hospitiô donatum scribit, sceleratámque vitam meliore exitu 1340 terminâsse commemorat. Ejus Epitaphium videre potes apud eundem *Ratk.* L.3. Fastum verò hominis vel titulus, quo utebatur, manifestat; hic autem erat: *Mladinus Croatorum Banus, Comes Jadra, Princeps Dalmatia, & secundus Bosnensis Banus.*

Joannes Babonic. *Banus Croat.*



NICOLAUS

Banus Sclavoniæ 1323.

JOanni *Babonich*, qui cum ceteris Croatis Proceribus Mladinum prælio fuderat, cùm dicto Regis audiens non esset, suffectus est in Illyrici Præfectura *Nicolaus*, quem *Madius* (u) Ungariæ Ducem ac Banum Mag. Dalm. & Croat. vocat, reipsa autem fuit Comes Vesprimiensis. Hic magno Ungarorum Cumanorúmque stipatus exercitu *Joannem Babonichium* transitum impedire conantem fudit, captisque 400 equis in campo Carna consedit. Convocat huc Dalmatiæ, Croatiæque cives Spalatúmque ingressus magno honore à Clero & Nobilitate postquam exceptus fuisset, compositis utcunque rebus inter in Ungariam suscepit. Verùm vix ille abierat, continuò Dalmatæ & Croatæ conspiratione in Regem Banúmque inita Venetis se tradidêre. Illud te hic monitum volo Lector benevole, non ignorare me ex *Sigismundi Ferrarii* sententia *Mladino Demetrium* Familiæ Chakianæ authorem Sanctique Mauritii Ord. Præd. Patrem successisse; verùm cùm neque annum

(u) *cap.* 22.

num neque Regem nominet *Ferrarius*, quin ne quidem, cujus Regni Banus fuerit, significet, erroneum id videtur; cùm ex *Lucio* constet *Mladini* locum *Joannem Babonich* occupâsse. Cautum præterea veteri apud Croatos lege fuerat, ne is Banali dignitate honestaretur, qui in Illyrico nullas facultates & bona haberet; *Demetrium* verò Transylvanum nihil tum possedisse in Croatia, facilè creditu esse *Rattkaius* contendit.

MICHAEL BARO
De Mihács Sclavon. Ban. 1326.

DEcedente Provinciâ Nicolao, cùm rursum turbaretur in Illyrico, Carolus Rex *Michaëlem Mihács* non sine milite ablegat. Is maritimas civitates aperto marte agredi non ausus, occupatis castellis filiorum Babonich cum *Friderico* Comite Vegliensi cujusdam Provinciæ Bano, & Stephano Bosnensi Comite sedatè per Dalmatiam iter facit, Jadrámque ingreditur. Verùm desperatis fere rebus in Ungariam uti Nicolaus revertit. Decennio pòst, annô nimirum 1336 *Lucius* (*x*) Banum Dalmat. *Paulus Subich* collocat, Pauli illius, de quo superiùs actum, fili- Paulus Subich. *Dal.Ban.* 1336.

(x) *in Tab. Genea. Comit. Subich.*

filium, Mladini fratrem; neque *Timon* negat eum præfuiſſe Dalmatis, num tamen à Rege eam dignitatem acceperit, in dubium revocare videtur.

NICOLAUS DE SZECH,
Sclavon. totius Banus. 1344.

Ludov. I. Rex. 1342 *NIcolai* militarem fortitudinem annus præter ceteros 1344 Cracovienſi in campo manifeſtam fecit; Joannem enim Bohemorum Regem Caſimiro Polono Sceptrum eripere molientem ſocium habens Petrum Poharnikium felici adeò eventu fudit, ut Cracovia univerſàque Polonia ab permoleſto hoſpite liberatam ſe prius fere ſentiret, quàm videret. Delectatus hac viri fortitudine Rex Ludovicus, eundem in Apuliam miſit, ubi Joannam, Andreæ per vim ſublati viduam, totóque Regno tumultuantem, jam Judex Curiæ factus compeſceret. Tertio evocatus in arenam Sclavoniæque Bani titulo inſignitus, Venetos compulit in limites, & nutantem populi in Ludovicum fidem quà muneribus, quà armis reddidit firmiorem. Quas enim à Comite Neliptio, & Gregorio Cyriakii, an Luriaci, filio turbas in Croatia excitas variis negotiis impeditus Ludovicus ſedare

dare annô 1343 non poterat, easdem Duce *Nicolao* magnam partem anno sequente sustulit. Missus is mense Septembri in Illyricum quatuor galeatorum millia, mortuô jam Neliptiô, Tininio admovit, viduámque Neliptii paucis in diebus certas deditionis conditiones offerre coëgit; quæ cùm Regi non placerent, ipsáque adhæc mulier à Regulis Croatiæ deditionem facere vetaretur, arcem quidem tradere distulit, sed tandem, aucto viginti galeatorum millibus Regio exercitu, ad Ludovici fidem cum majore Croatiæ parte rediit. Breberienses tamen Comites Venetorum fisi potentiâ neque se tradidêre Regi, neque molestiæ quidpiam ab eo accepêre; propterea quòd Rex classe destitutus conatus suos in obsidenda Osztrovicza, Scardona & Clissia irritos fore non vanè conjectaret. *Rattkaius* universam Dalmatiam bello hoc à Ludovico subactam memorat; sed posteriùs id, annô nimirum 1357, factum ex *Lucio Timonióque* didicimus. Verùm *Nicolaus* sub annum 1380 revocatus in Curiam, *satis demum*, ùt eleganter pro suo genio scriptor Tyrnaviensis Judicum Curiæ; *gloriæ vixit, sed non satis Regno cum Cæsare. Ingemuit cum Rege Polonia*

ma-

magni viri manibus, meritóque inter grandes Heroum consedit, qui ad meridiem usque fortitudinis adolevit.

MATTHÆUS MAROTTA,
Sclavoniæ Banus. 1350.

MAtthæum hunc Banum fuisse ad annum 1350, verùm incertùm cujus Regni, ex vetustioribus monumentis didicisse se ait *Rattkaius*; Sclavoniæ tamen præfuisse ex eo suspicatur, quòd cum Nicolao Zagrabiensi Antistite & Ludovici
1369. ci Vice-Cancellario ei prælio interfuerit, quo Stratimirus Bulgariæ Rex, sub auspiciis Ludovici Regis victus cum Budino (ungaricè Bodon) Metropoli in nostrorum potestatem venit. Stratimirus hic in Nicolai Episcopi castello Gnomek nuncupato, & tertio à Casma sito lapide custodiæ mandatus, cum fidem obsequiùmque perpetuum Ludovico sponderet, magnificis excultus muneribus cum libertate Regnum quoque recuperavit.

STEPHANUS
Banus totius Sclav. & Croat. 1351.

STephanus in clausula diplomatis ad annum hunc editi in numero Banorum

rum poſitus, Frater Ludovici Regis fuit, annô dein 1355 Ducis titulo univerſæ Sclavoniæ moderator datus. Non diu tamen eo honore fruitus inſequenti mox annô fatis ceſſit (y) relicto filio Joanne in prima pueritia extincto. Conjugem habuit Margaritham, quæ à morte mariti cum dominatu titulumDucis inSclavonia æque ac Croatia retinuit. Stephano verò juſta funebria perſolvit Ludovicus Rex Zagrabiæ. Vide *Annales Paulini Ord.* pag. 134. Edit. Vien. anni 1663.

JOANNES ZUUS
Croatiæ & Dalmat. Banus. 1357.

LUdovicus recuperandæ à Venetis Dalmatiæ intentus, cùm id miſſis ultrò citròque nunciis impetrare non poſſet, annô tandem 1357 *Joannem Zuus* cum numeroſo milite Illyricum ingredi atque terrorem undequaque circumferre jubet. Primi Spalatenſes conſternati, captis ſtipendiariis Venetis, acceptas à Poteſtate (magiſtratûs id nomen eſt) claves Bano 8vâ Julii tradidêre, hósque Traguriensſes ſecuti, quamvis ſui à Venetis admoneretur officii, conſtantes nihilominus in fide Regis utrique permanman-

(y) *P. Timon Nova Ungar. c.* 17.

manserunt. Sibenicum quoque maluit benevolentiam Bani, quàm arma experiri. Jadra verò pertinacior restitit nonnihil, sed quæ operâ Abbatis S. Michaëlis de Jadra dicti in Regis deniq; potestatem venit. Obsidebat hanc *Joannes* Banus, noctéque concubia Conradum Eldebordium natione Theutonem cum expedita manu urbis mænia subire jusserat, illi à Michaële Abbate scalis in urbem admissi, dum obvios passim sternunt, fugientibus in arcem (quæ dein adveniente ipso Ludovico capta fuit) præsidiariis, urbe potiuntur; pugnatum tamen inter tenebras fuit, ínque eo tumultu Conradus Eldebordius amissus. Captâ Jadrâ pax denique icta eodem 1357 annô cum Venetis ea lege, ut ii deinceps titulô Ducis Dalmatiæ abstinerent.

PETRUS
Croatiæ & Dalmat. Banus. 1361.

PEtri Bani meminit *Bonfinius* (z) & licèt, quas Provincias Pro-Regis nomine moderatus sit, non memoret, placet tamen conjectare cum *Rattkaio* eum Dalmatiæ Croatiæque præfuisse. Utilem is annô 1361 Urbano hujus nominis

(z) *Dec. 2da. Lib. x.*

nis quinto ſummo Pontifici navavit operam, dum ei ſuppetias cum validiſſimo equitatu Ludovici juſſu ferens, Bononiam, quam ſummo Præſuli refractarii Optimates Mediolanenſes Barnabo & Galeacius tenebant, obſidione cinxit, captámque Ægidio Cardinali nuper in Italiam reverſo tradidit. Scribit præterea *Rattkaius* eum cum Emerico Bebeko emerita jam & gravi ætate viro Raſciam gubernandam, atque adversùs fædifragos Lithuanos defendendam ſuſcepiſſe. (*a*) Verùm non Raſcia illa fuit, quàm Lithuani impetebant, ſed Roxia; ac præterea nulla apud *Bonfinium* Petri in Lithuanica expeditione mentio, ut adeò veniam me meriturum confidam, ſi ab ſententia *Rattkaii* diſceſſero; niſi forſan *Petrus* hic, de quo agimus, Zudar dictus fuerit Georgii frater, de quo loco citato ità *Bonfinius*: *Neque in administratione Provinciæ Pontificibus pepercit* (Ludovicus) *quippe qui ad gubernandos Roxanos, quos Rutenos nunc appellant, Emericum Agrienſem, Epiſc. item Georgium Zudarum cum fratribus: deinde Emericum Bebechum, & Joannem Zapoleum cum imperio miſit.* Fuit verò Petrus

(a) *P. Timon in Syn. Nov. Chron. part. 2.*

trus Zudar, Georgii frater, posteà Sclavoniæ Banus, de quo infrà ad annum 1382. Illud indubitatum, *Petrum* Ba-
1361. num cum Ladislao Apuliæ Duce Moraviam ingressum, postquam omnem latè regionem cædibus & incendiis jussu Ludovici complevisset, non exiguâ captivorum turbâ secum abductâ triumphabundum in Pannonias rediisse. Quamdiu Bani nomine Croatiæ, Dalmatiæque præfuerit, scire non licuit; neque illud compertum, num ei Comes *Anz* successerit, quem Sclavoniæ Banum annô 1363 Segniæ obiisse lego.

Comes Anz. *Sclavon. Banus.*

ANONYMUS
Banus maritimæ Croatiæ. 1364.

ALmisiani sub hæc tempora pyraticam renovantes, cùm protectoribus destituerentur, facilè à Bano domiti quietam ab latrociniis oram adriaticam reliquêre, tenuítque ea maris tranquillitas, dum bellum Venetos inter & Ligures exarsisset. (*b*) Forsitan idem iste
1378. *Anonymus* Banus fuerat, qui maritimis civitatibus à Veneto infestatis jussu Regis supplementa militum subministrans prohibere non potuit, quin Sibenicum hosti

(b) *Luc. Lib.* 5. *cap.* 1.

hoſti ſe dederet; cujus ſiniſtrâ fortunâ Tragurienſes perculſi ad Banum illico certos è civibus ablegant, auxilia petituros. Accurrit ille eò celeriùs, quòd Sibenici expugnationem ſuæ negligentiæ attribui intelligeret, extemplóque initô cum Liguribus claſſiariis conſiliô, dum iſti in apparandis navigiis ſtrenuè inſudant, Banus Croatos circumvicinos, qui nunc Vlahi dicuntur, ad operas ſerviles cogens, adjuvantibus etiam Tragurienſibus portum adversùs hoſtilem vim munire aggreditur. Eſt autem Tragurinus portus propter objectam inſulam ſatis navium capax, & à ventis tutus; ſed occupatâ ab hoſte inſulâ omnino inutilis. Huic incommodo ut mederetur *Anonymus*, orientale oſtium acervis lapidum ſcitè ſub aqua diſpoſitis ità replevit, ut triremes ea parte ab acceſſu arceret: occidentali verò parte, ubi oſtium latius, tria ab hoſtibus nuper capta navigia ſaxis onuſta demergi, reliquum autem ſpatii arboribus antennísque navium colligatis, ſudibus item defixis muniri præcepit. Una inſula ſollicitum tenebat Banum, quæ ne in hoſtium facilè poteſtatem veniret, incumbentem ei collem *Balan* arduum ſanè aſcensúque perquam difficilem ea celeri-

tate extructis opportunis in locis machinis firmavit, ut Pisanus classis venetæ Ductor cognitô nostrorum consiliô advolans, licèt vim varia parte intentaret, repressus tamen, ubique conatus suos irritos sentiret; hinc enim à Liguribus impetitus, inde ab Vlahis copiosum lapidum imbrem è fundis depluentibus pene obrutus à suscepta oppugnatione destitit, Venetiásque festis Natalis Domini ad hibernacula discessit. Opportunus ejus abitus nostris fuit; namque Banus eo tempore reliquum, quod adhuc ad muniendam urbem desiderabatur, perfecit, faucésque portûs validioribus structuris coarctans, reliquum catenâ validâ pro illorum temporum more clausit, útque nihil ad rei summam deesset, eam partem, quæ meridiem respicit, præcipitatis vicino è colle rupibus reddidit inaccessam. Hæc ubi Pisano relata sunt, strenuum quantumvis Ducem ab obsidendo Tragurio deterruêre.

CAROLUS DYRRACHIUS

Dalmatiæ, & Croatiæ Banus. 1369.

DUm hæc inter Venetos & Tragurienses aguntur, *Carolus* à pace dictus Ludovici Dyrrachii filius, qui annô

1369

1369 cum Margaritha Caroli Ducis Dyrrachii filia Banatum quoque Dalmat. & Croat. acceperat, atque dein Neapolim 1374.
cum uxore remigraverat, ejusdem seculi annô septuagesimô octavô Neapoli revocatus à Rege bello Veneto præficitur Imperator; suspicatus quippe Ludovicus Venetos sibi in successione Regni Neapolitani impedimento futuros, obicem hunc ferrô voluit amoliri. Missus itaque cum decem Ungarorum millibus *Carolus* ad Tarvisium consedit ultimo die Augusti anni 1379, tantúmque Reipublicæ metum adtulit, ut Patres missis Legatis pacem respectarent. Adventantes Oratores, benignè quidem excepit *Carolus*, in Ungariam tamen ad Regem relegavit, ubi teste *Mauroceno* his annô 1380 conditionibus pax pertractata: 1mò: *Ut in platea S. Marci solemnioribus diebus festis vexillum Regis Ungariæ erigeretur.* 2dò: *Ut electio Ducis à Rege confirmaretur.* 3tiò: *Solverent tributum annuum* 50 *mill. Ducat.* 4tò: *Pro expensis* 500 *mill. ducati solverentur statis temporibus.* At pacis hic tractatus in fumum evanuit; Tarvisium enim indulgente *Carolo* annonâ provisum superbiùs resistebat, ipséque *Carolus* eodem anno in

Italiam cum exercitu transiens Venetos metu omni absolvit. Cur verò bellum mutaverit *Carolus*, nota passim eruditis causa; Joanna quippe cæsi per vim Andreæ Regis Neapolitani conjux cum schismaticis quibusdam Cardinalibus Clementis dicti VII Antipapæ quondam Episcopi Cameraczensis electionem fovens postquam ab Urbano VI Pontifice anathemate percussa fuisset, Ludovicus Ungariæ Rex ad capessendum sceptrum Neapolitanum evocabatur; sed is seniô jam & morbô, qui ei postremus erat, pene confectus, hunc, de quo agimus, *Carolum* sui locò in Italiam cum exercitu destinavit; antè tamen quàm eum à se dimitteret, præscius forsan tumultuum, Sacramentô abiturum obstrinxit, de non captandis Ungariæ & Poloniæ Regnis. Ingressus ille Apuliam Ottonem Joannæ maritum, nec multò pòst Joannam ipsam carceri mancipat, in quo, quocunque tandem mortis genere, extincta infelix Regina vivendi & peccandi finem fecit. Exortum subinde inter Ludovicum Andegavensem & *Carolum* bellum ea de cau-
1332. sa fuit; sed non destitit Ludovicus validis suppetiis sanguine junctum Principem

pem adjuvare. Verùm de hoc *Carolo* plura in ſequentibus Banis.

HENRICUS
Seu Emericus Bubek
Dalmat. & Croat. Banus. 1380.

REdeunte, uti meminimus, in Ungariam Nicolao Séchio, ſucceſſit Jadræ in ejus locum *Bubekus* fidelitate in Patriam, artéque militari Heros clariſſimus. Superſunt literæ Eliſabethæ Reginæ Ungariæ, quæ ægriente Ludovico publica negotia procurâſſe videtur, datæ ad Dalmatiæ Civitates, in quibus ferendis Carolo Dyrrachio adversùm Andegavenſem auxiliis *Bubekum* ſtatuit Imperatorem. Mos geſtus Reginæ Regíque fuit, exeuntéque Auguſto anni 1382 conſcenſa majore navi bellica Barolium appulit, quò priùs equos cum milite & armis expediverat. Ceterùm *Henricus* noſter quatuor Regibus ſubditus ſic omnium approbatione vixit, ut ſago togáque clariſſimus haberetur. Mariæ Reginæ etiam in calamitatibus adeò conſtans adhæſit, ut Dalmatas & Croatos ſub lege habens eos in Reginæ fide & amore aut conſervaverit, aut reduxerit. Traductus dein è Dalmatia in Ungariam ut am-

Maria Regina 1382

amplum Judicis Curiæ munus obiret, rursum redire cogitur, authore Joanne Sclavoniæ Præfecto motos tumultus sedaturus, & fecit imperata strenuè, quosque adhuc ad officium Mariæ obedientiámque, eloquentiâ non potuit, ultrici ferro revocavit.

Nicolaus Gara. Joannes Machov. *Bani.* Fuêre præterea sub Ludovico Bani *Nicolaus Gara* (c) posteà Palatinus vir miræ virtutis ac singularis in re militari disciplinæ. Annô ad hæc 1381 Banum Sclavoniæ *Rattkaio* teste accepimus *Joannem de Machov.*

PETRUS ZUDAR
Sclavoniæ Banus. 1382,

1382. DEcedente è vivis Ludovico Tyrnav. 12 Septembris eo civium luctu, ut eum Ungari triennium totum pullam induti vestem, interdicta etiam musica omni choreísque lugerent, Elisabeth vidua Octobri mense Joannem Bissenum Comitem Vesprimiensem Nitriâ in Dalmatiam iter suscipere, nutantésque Illyricorum animos confirmare præcipit: effecítque ille, ut Breberienses Corbaviæque Comites hortatu Jadrensium in fide permanerent, ipsique Jadrenses duos ad Eli-

(c) *Rattkai Lib.* 3.

Elisabetham & Mariam Legatos cum Archi-Episcopo suo mitterent. Datæ tum quoque ab iisdem Reginis ad Proceres Illyrici literæ, inter quos *Petrus Zudar*, nescio an alius ab illo, quem ad annum 1361 descripsimus, tantis excultus donis, ut fortunam sibi tributariam fecisse videatur. Et sanè debebatur illa eximiæ ejus militari præter reliqua scientiæ & fortitudini, quam magno suo malo, & refractarios Dalmatas, & inhiantes Ludovici ditionibus Venetos expertos scimus. Sub Maria Sclavoniæ præpositus, eam in fæminæ obsequio continuit, meritus propterea, ut JudicumCuriæ syllabo adscriberetur, dignissimus hoc munere, nisi ferrū, quod Ludovici inimicorum tinxerat sanguine, Ludovici agnatorum cruore maculâsset. Detersit tamen notam utcunque, dum Abbatiam Ladensem ad Onodinum cum fratre Georgio pietatis æmulo in monimentum condidit posterorum. (*a*)

JOANNES HERICHORTH vel Horvath, & alii *Dalmat. Croat. & Sclav. Bani.* 1382.

PAcatè satis in annum secundum relictis à Patre Regnis jura dictabat

 Ma-

(d) *Judices Curiæ pag.* 38.

Maria: cùm ecce Paulus Zagrabiensis Antistes, Stephanus Laczkovich, vel Laczkfy Vajvoda Transylvaniæ (*Rattkaius* Banfium vocat) ejúsque frater Andreas, Stephanus item Simontornya, *Joannes Horvath* Banus & frater Bani Joannes Crucigerorum Auranensium Prior fæmineum exosi imperium, nimiáque Nicolai Gara Palatini offensi potentiâ, conspiratione inita in Carolum Dyrrachium respicere inceptabant. Nondum tamen flamma in apertum eruperat; quin
1383. Reginæ auxilia Carolo Dyrrachio in Apuliam deducenda Joanni Hervojæ pariter refractario & nepoti Joannis Auranæ Prioris crediderant, eodémque anno
Stephan. Laczkov *Ban. Cr.* *Stephanum Laczkovichium de Lindva* novum Banum nominârant; quem Jadram primâ Augusti ingressum, mox ipsa Elisabeth 24 Octobris cum Maria & Hedviga filiabus secuta, castrum Auranæ, quod Joannis de Palisna olim Prioris Auranæ jussu imperium detrectabat, recepit. Et quia *Stephanus* quoque *Laczkovichius* in Joannis Palisnæ refractarii
Comes Themplinus *Cro. Banus.* 1384. partes discesserat, locô motus est, eique *Comes Thomas* (Themplinus) *de S. Georgio* suffectus, qui 15 Maji Jadram veniens Præfecturam Illyrici capessivit.

Dete-

Detecta sub idem tempus & eorum conjuratio fuit, qui ad aditum Carolo parandum conjuraverant, reique meritis suppliciis accepti; nec immunis ab eo scelere erat *Stephanus*, qui odio Reginarum doloréque amissi Magistratûs furens, Caroli partes firmare omni contentione satagebat.

Adscitis itaque in consilii sui societatem compluribus Croatis Nobilibus ad Carolum dat literas, eúmque de Procerum non Croatorum modò sed Ungarorum etiam conspiratione certiorem facit. Carolus tamen ad Jadram, quam Ungarico Reginarum præsidio teneri noverat, appellere non ausus, Segniam venit, ibique moras trahenti postquam parata esse omnia à conjuratis nunciatum fuisset, continuatis itineribus Budam advolavit. Inopinatus tam invisi hospitis adventus non mediocriter attonitas Reginas tenuit; sed cum vi resisti non posse viderent, simulatâ amicitiâ Regnum & ipsæ deferunt, Albámque Coronæ suscipiendæ causâ ituro se socias jungunt. Ibi solemni ritu unctus inauguratúsque Regni, quod se nunquam ambiturum jure-jurando pollicitus erat, infaustam possessionem adiit, lugubriore mox exi-

Carolus *Rex.* 1384.

tu terminandam. Namque ubi Budam rediiſſet Carolus, Nicolaus Gara, cujus invidiâ tota hæc ſcena à malevolis conſtructa fuerat, ultimam fabulæ cataſtrophen impoſiturus, perſuadet Eliſabethæ, ſuum ut in conclave communicandi per ſpeciem ſecreti de Sigiſmundo Duce conſilii gratiâ Carolum alliciat: inter mutuum, ùt fit, ſermonem erumpit ex inſidiis datô ſignô Blaſius Forgachius, gravéque
1385. vulnus in caput Caroli inſligens ictu uno perfidorum ſpes ſuccidit. Concidit extemplo Carolus, Viſegradúmque tumultuariè delatus carceri mancipatur, in quo non multò pòſt interiit infelix Princeps, futurus felicior, ſi uno, quod juſtè adeptus erat Regno, contentus alterum contra jus-jurandum non prensâſſet.

Sublatô æmulô quietæ rurſum Reginæ imperabant, ſed tanto oneri lacertos ſuos impares ſentientes in curarum & Regiæ dignitatis partem Sigiſmundum, poſteà Imperatorem Romanorum Regémque Bohemiæ, accerſunt, ipſæ verò ſecuritati ſuæ conſulturæ in fidelem ſibi Dalmatiam comitantibus Nicolao Gara, & Blaſio Forgáchio revertuntur; ſed en ubi ſalutem quærunt, extremam perniciem invenêre: Audita quippe Caroli

Sigiſm. *Rex.* 1387.

roli cæde *Joannes Horvathus* Banus, ùt erat Caroli ſtudioſiſſimus, ac propterea vindictæ cupidus, Reginis Diacum versùs iter facientibus numeroſo & ipſe ſtipatus milite medio in campo factus obviam, eas ex improviſo agreditur, fugatíſque prætorianis Garam Forgachiúmque fortiter pugnantes obtruncat. Nicolaus certè vel ex eo inter Heroas numerandus, quòd cum fugâ ſibi conſulere potuiſſet, tamdiu tamen Reginas defenderit, donec mille ſagittas generoſo pectore excipiens equóque proturbatus caput à cervice revulſum amitteret. Eliſabetha, ùt *Bonfinius* vult, occluſis faùcibus in proximo flumine Boſſuta ſeu Bacuntio mergitur, aut, ùt *Careſinus*, in carcere trucidatur: utroque tanta Principe indigno lethi genere, in caput parricidæ mox devolvendo; Maria namque eodem ſupra milleſimum tercenteſimum octogeſimo ſeptimo anno Veneti Ducis operâ ex Crupenſi, aut, ut *Paulus de Paulo*, Novigradienſi ſeu Caſtrinovi ergaſtulo libertati reddita Sigiſmundum ſponſum ſtimulare non deſiſtebat: manus injici ſceletato parricidæ juberet, vindicaret immane facinus, atque ad poſterorum memoriam juſtúmque timorem

rem crudelem latronem nova rursum cum Tvartkone Bosnæ Rege molientem excarnificaret.

Motus Mariæ querelis Sigismundus duas legiones cum expeditissimis conscribit equitibus, simulatâque in Bulgariam adversus Turcam profectione, Posegæ primum *Horvathum* obsidet, indéque nocte concubia elapsum, trajectóque Savô Dobor, Regni Bosnæ opidum, maxima celeritate petentem conversis illico signis insequitur, Doborinúmque cingit. Effugere hic iterum parabat *Horvathus*; sed in insidias delapsus Regi sistitur, dúmque oppugnatio procedit, custoditur. Captô demum oppidô, Quinque-Ecclesias adductus meritas parricidii, etsi fors crudeliores, pœnas dedit; ad palum namque revinctus pérque urbis vicos candentibus discerptus forcipibus, in
1390. quadrum denique sectus plenum horroris
(d) fuit civi plebique spectaculum. Nec multò felicior *Stephani Laczkfi* ceterorúmque conjuratorum triginta duorum Nobilium fuit exitus: Et *Stephanus* quidem Transylvaniæ Vajvoda, quem Banum Illyrici fuisse diximus, in Crisiensi Ungarorum Croatorúmque conventu obtruncatus

(d) *Rattk. Lib.* 3.

catus cum nepote ſuo vitam poſuit 26. Februar. anni 1395. (*e*)

JOANNES HERVOJA
Banus 1383. *& alii.*

REverſus ex Apulia, ad quam eum cum Nepote Prioris Auranæ abiiſſe diximus, *Joannes* in Croatiam, tumultuantisque tum Tvartkonis partibus adhærescens non exiguum Sigiſmundo Regi negotium annô præſertim 1388 fecit: & licèt *Ladislaus de Luczens* anno hoc Sclavoniæ Banus, poſteà verò *Detricus* vel potius *Henric. Bubek* itidem Scl. Ban. ſe ſe furenti oppoſuiſſet Regio cum exercitu, prohibere tamen neuter potuit, quin univerſo in Illyrico, ac Jadrenſium præprimis agro funeſta *Hervojæ* crudelitatis inſignia cernerentur. Quin majora volutans animô, atque ad Banatum Illyrici Boſnæ etiam Vajvodatum ſeu Præfecturam adeptus de Ladislao cæſi Caroli filio in Regnum Ungariæ inducendo cogitare cœpit. Non fugiebant inſana hæc Sigiſmundum Regem conſilia, qui, ut ſuperbos hominis ſpiritus contunderet, atque immane facinus, quo Turcas in partes maritimas acciverat, caſtigaret, baliſtarios à Tragurinis per literas petiit, & decimo quin-

Ladis. de Luczens. *Sclavon. Banus.* Detricus Bubek. *Sclavon. Banus.*

1398.

(e) *Paulus de Paulo in diario.*

quinto Maji die impetravit; firmior tamen jam erat *Joannis* potentia, quàm ut adeò facilè opprimi poſſet. Crevêre animi, Sigiſmundi Regis captivitate, ſerióque de Ladislai Neapolitani corona-
1401. tione agitari cœptum. Et ſubiîſſet tum forſan Julii Cæſaris fatum Sigiſmundus,
Joannes Marott. nisi *Joannes Marottha* totius Sclavoniæ
Scl. Ban. ac poſteà etiam Machovienſis Banus vitam Regi precariô impetrâſſet. Quæ dum aguntur in Ungaria, Jadertini *Hervojæ* pollicitationibus allecti cum Pago inſula obtenta Ladislaum unà recipiunt, Regémque agnoſcunt. Idem fecêre & reliquæ civitates vi aut blanditiis ad Ladislaum inclinatæ: & fuit ſuum *Hervojæ* præmium, qui à Ladislao Dux Spalati proximarúmque inſularum creatus non deſtitit ejusdem partes novis acceſſi-
1403. onibus firmare. Nec defuit ad eam rem
Paulus Biſſenus. homini conſilium, quo uſus *Paulum Biſ-*
Paulus de *ſenum* ante *Paulum de Peſth* Croatiæ in
Peſth. Banum datum, cum exercitu Ungaro,
Cr. Bani. adversùm ſe tendentem prope Bihachium ſic cæcidit, ut *Biſſenum* ipſum caperet, vinctúmque Aloyſio Aldemariſco Ladislai Claſſis Præfecto in victoriæ relatæ mitteret teſtimonium. Rediit tamen
1408. cum potiore Illyrico in fidem Sigiſmun-

di

di: tum ut maturè rebus ſuis conſuleret, tum quia à Ladislao turbis Italicis impedito auxilia nulla mitti poſſe intuebatur. At Turcas rurſum annô 1413 ad invadendam Bohemiam proritare, turbásque ſeminare in Ungaria, ac Zandalii Regni Boſnenſis Vajvodæ fidelis caſtra cæſis incolis occupare auſus Spalatenſi Ducatu à Sigiſmundo ſpoliatur.

Uſſit hominem accepta ignominia, quam ut vindicaret, hoſtilia rurſum exercens Regium in Boſnia exercitum pene ad internecionem delevit. Fuêre tum 1415.
Sigiſmundi Duces *Joannes Marottha* Banus, Joannes Gara, & Paulus Chupor Boſnæ Pro-Rex, omnes in *Hervojæ* poteſtatem eo prælio delati. Ac Gara quidem factô ad SS. Euchariſtiam votô disruptis repente pedum vinculis libertatem nactus eſt, quam *Marottha* Nittriæ dein tumulatus multô aurô redimere compulſus fuit. At Chuporium multò lugubrius fatum manſit; qui, quòd *Hervojam* vultu & moribus bovem referentem mugitu ſemel per jocum Sigiſmundo adſtante ſalutâſſet, bovinæ inſutus pelli in profluentem demerſus eſt cum dicto: *Qui ſub humana ſpecie, bovina voce utebaris, bovinam quoque nunc cum voce*

for-

formam indue. Eodem anno alter quoque exercitus Sigismundi à Valachis profligatus luctum geminavit: cæsus inter ceteros *Stephanus Loschonczius* incertum cujus Regni Banus. Opportunè hic subnectendus *David Laczk de Szánto*, apud *Rattkaium Joannis Marotthæ* de Sigismundo, quem è carcere liberatum edita per Ungariam ingenti strage in Regno firmaverat, optimè meriti successor, item *Joannes Medve*, quem *Timon* (*f*) ad eundem annum inter Banos Dalmat. & Croat. censet. Ceterùm unum te adhæc de *Hervoja* monitum volo Lector: Dubitare videtur *Timon* in sua ad secundam *Novæ Chro. par. appendice* alius ne hic ab Horvatho vel Joanne Herichorth, num idem cum eo fuerit: quodsi postremum sequi lubeat, negat is supplicium de Horvatho sumptum, sed confictum duntaxat, ut Reginæ Mariæ satis factum videretur. Sin verò diversos esse quis contendat, capitali pœna affectum Horvathum concedit.

Stephan. Loschon. *Banus.* David Laczk. Joannes Medve. *Ban. Cr.* 1418.

HERMANNUS
Dalm. Croat. Sclavon. Banus. 1406.

H*ermannus* Comes Ciliæ & Zagoriæ socer

(f) *Synop. Nov. Chron. part. 2.*

ſocer Sigiſmundi triplici Regno Pro-Rex datus, rediens è Polonia, quò viſum ſororem annô 1410 iverat, nobile candidiſſimo PP. Eremitarum Divi Pauli Ordini cum Monaſterio Templum Lepoglavæ condidit, Magnæque Dominæ honoribus incertum tamen quo anno conſecravit; nam Turcæ ſubjectis Monaſterio ignibus cum reliqua ſuppellectile literariam pariter penum omnem perdiderunt. Quamdiu in humanis *Hermannus* fuerit, nîl certi habeo; eum tamen annô adhuc 1435 (g) Sclavoniæ cum *Joanne* & *Stephano Weghl* Segniæ & Modruſiæ Comitibus, quos *Rattkaius* Frangepanos vocat, lego præfuiſſe. Joan. & Stephan. Weghl. *Scl. Ban.*

MATTHKO DE THALOCZ.
Dalmat. Croat. Sclav. Banus. 1420.

FUit *Matthko* vel *Matthias* de *Thalocz* Raguſinorum Patritiorum ortus genere, atque juxta *Bonfin.* ſoli Dalmatiæ, juxta *Thurocz* verò Croatiæ etiam, & Sclavoniæ Præfectus, obitáque ad Polonos Legatione clarus; annô enim ſalutis ſupra milleſimum quadringenteſimum nonô & trigeſimô Alberto Rege è ventris profluvio in ignobili Ungariæ pa- Albertus *Rex.* 1438.

E go

(g) *Sigiſm. Decr. 6. in Concl.*

go Nesinil defuncto, Elisabetha vidua, licèt uterum ferret, liberam novi Principis eligendi potestatem Optimatibus fecit. Usi illi indulta sibi libertate, Uladislaum Casimiri Regis fratrem, magnæ Lithuaniæ Ducem adhuc adolescentem Regem extemplo nominant, simúlque quinque præcipuos viros, quos inter & *Matthias* noster, Uladislaum de Ungarorum voluntate certiorem facturos, in Poloniam ablegant. Intereà Elisabetha Ladislaum Posthumum Comaromii 22 Februarii enixa, factíque sui pœnitens, ut sponsum Uladislaum thronô excuteret, Legatos è Sarmatia revocat, reversúmque *Matthiam* cum Emerico de Marczali, & Joanne de Peren, manentibus in Polonia Joanne de Domniis Episcopo Segniensi, & Ladislao de Paloch, eò, quòd cum Collegis suis ab Uladislai partibus constanter esset, in carcerem conjicit; ex quo tamen anno eodem sui tonsoris ope liberatus, advenienti non sine armis in Ungariam Uladislao, Illyrici, qui-
Uladisl. *Rex.* 1440. bus præerat, Regnorum nomine fidem spopondit, ac tandem gesto ipsos viginti duos annos Magistratu vitam, magno Uladislai dolore, cum morte commutavit.

FRAN-

FRANCISCUS de THALOCZ
Dalmat. Croat. Sclav. Banus. 1442.

MAtthiæ *Franciſcum* vel *Franconem* ſubnectimus, *Turoczio Perkonem* ſeu *Ferkonem*. Interfuit is compluribus Uladislai prældiis, ac poſtremo illi quoque ad Varnam Bulgariæ Oppidum infelici, quod Regi ac Regno toti funeſtum etiamnum poſteri lugemus: id nos, quantùm per dolorem licet, quàm breviſſimè exequemur: Rupto, Georgii Deſpotæ Raſciæ, & Juliani Legati Pontificii conſiliis, eo ipſo, quo ictum ad decennium cum Turcis erat, anno fœdere, Uladislaus motis Szegedinô caſtris Varnam pervenit, collatísque Ducum ſententiis manus cum hoſte, qui ea loca infeſtis jam ſignis circumvolitabat, campeſtri prælio ſtatuit conſerere: quare ubi Turcam per exploratores adeſſe nunciatum eſt, diſponitur in ſuos à Joanne Corvino ordines miles, nihílque, quod providum Ducem agere oportebat, prætermittitur. Ac, ne quid periculi à tergo immineret, fauces, quæ inter lacunam & colles intercedunt, curribus præcluduntur: alteri verò aditui tormenta, quæ hoſtem eminus arcerent, objiciuntur. Poſt hæc inſtructa

1444.

acie mediam vallem, utpote tutiſſimam, Regi Aulicíſque attribuens, dextero cornui *Franciſcum* Banum & Simonem Agrienſem Præſulem Duces dedit, ſimúlque Georgium Deſpotem Raſciæ, & Julianum Eugenii IV Ponti. Legatum cum Raſcianis & ala Crucigerorum adjecit; à tergo verò ad curruum ſepta vexilum Divi Ladiſlai ſtatuens Varadinenſem Epiſcopum cum ſuo agmine, & parvo Leſconis Bobricii equitatu excubare præcepit: ipſe verò cum expeditiſſimis Valachis equitibus nullum ſibi locum definiit, ibi adfuturus illico, ubi maximè laboraretur. His ità conſtitutis, tentaturi noſtrorum animos barbari ſex equitum millia præmisêre, qui ad dextram collium procurrentes contempta Ungarici exercitûs paucitate pugnam eminus conſerebant, Non defuit militi animus in hoſtem eundi: ſed Agrienſis cum Bano ſapienter providens, ne iniquitate locorum parùm proſpere pugnare cogeretur, ſuos quidem tunc continuit, aſt ubi hoſtis in planiora deſcendit, effuſis habenis eo ardore in Turcos itum, ut illi extemplo terga vertentes reliquum ſuum exercitum non mediocri metu percellerent.

Verùm

Verùm mox ingens Turcicus equitatus ſuperveniens fugitivósque illos ſecum retrahens prælium reſtauravit, quod dum fervet, Simónque Agrienſis & *Francus* noſter rurſum hoſtes in fugam conjiciunt, metuens Varadinenſis ne ſe abſente victoria conficeretur, accurrit illico cum Deſpote, fugientibúsque barbaris à tergo inſtat; ſed ea res univerſum exercitum in extremum exitium conjecit; namque cum collem, quem Turcæ fugientes petebant, attigiſſent, ab increbeſcente Ottomanorum multitudine noſtri in ſiniſtram funduntur. Fit fuga Chriſtianorum, dúmque laxatis ordinibus miles ſúas ſtationes repetere conatur, Turcæ eo fervore inſecuti ſunt, ut ad impedimenta ipsúmque Divi Ladislai vexillum pervenerint. Acre hìc illis cum Bano ſolo & Deſpota certamen; nam Varadinenſis locorum ignoratione in paludes delatus, dum cænô teneretur, hoſtilibus jaculis impetitus occubuit; Simon verò Agrienſis Galatam effugere conatus, cæditur, aut, ùt alii, captus ovibúsque paſcendis addictus vitam Præſule indignam ducere coactus fuit. Tantis itaque Ducibus amiſſis non fuit tam facilè *Franciſco* Bano & Deſpoti hoſtium

impetum ſuſtinere; pari tamen aliquamdiu fortuna certatum fuit, tum ſuperante hoſte adeò laborari à noſtris cœptum, ut confoſſo Leſcone currus ipſi, qui caſtrorum vicem obibant, oppugnarentur. Advolavit illico audito *Franciſci* periculo Uladislaus, ínque medium Janitzarorum agmen irruens, dum ſtrenuè non tam pugnat in hoſtem, quàm ſævit, à confoſſo in dextro armo equo labentéque ipſe quoque in terram effuſus, atque hoſti agnitus, tellorum imbre confoſſus occubuit. Visô miſerô Regis, quem fruſtra revocare ſatagebat, fatô Corvinus, ut eſſet, qui hanc genti ſuæ inuſtam notam elueret, caput periculo ſubduxit, ſuperatóque Danubio ſe cum *Franciſco* Bano in tutiora recepit. Nec incruenta ea hoſti fuit victoria, è cujus 60 millibus, triginta interfecta, cùm è noſtrorum ſedecim millibus vix tertia pars cum Corvino & Bano rediret, hoſti vicem parem non ſemel redditura.

Et intentus in omnem rei bene gerendæ occaſionem Corvinus, reddidiſſet eam abundè in Merularum campo; (Un-
1448. garis Rigó-mezõ) niſi à Georgio Deſpota, jam tum ob recuperatam Myſiam Turcis colludente, proditus, poſt trium die-

dierum acre certamen hoſti rurſum cedere coactus fuiſſet. Periit eo prælio *Franciſcus* Banus gloriosámque vitam ſuam non diſpari exitu terminavit annô à Banatu ſuſcepto ſextô. *Szentivani* eum in Varnenſi cæde occubuiſſe memorat, verùm Joannes is Thalocz fuit *Franciſci* & Matthiæ Banorum frater, Auranæque Prior Belgradi adversùm Amurathem 2dum ſtrenuus propugnator. Vide hæc, ſi lubet, fuſiùs apud *Bonſinium*. (*h*)

NICOLAUS UJLAKI
Sclavoniæ totius Banus. 1449.

Nicolaus Machoviæ Banus (eſt autem Machva vel Macsva Provincia è regione Sirmii ultra Savum ſita) Reginæ Eliſabethæ partes ſecutus principiò, Uladislao denique ſumptâ ex cranio, aut ſimulacro Divi Stephani coronâ, cùm veram Eliſabetha abſtuliſſet, cincto, ínque Regem inaugurato adhæſit, eáque de cauſa novo à Rege munere auctus Joanni Corvino Tranſylvaniæ Vajvodæ Collega datus fuit annô 1441. Ereptô verò humanis clade Varnenſi Uladislaô, indicta fuêre in campo Peſthinenſi comi- 1444.

E 4 tia,

(h) *Decad.* 3. *L.* 6.

tia, &, quia Ladislaus posthumus nondum per ætatem Regno præesse poterat, de Gubernatore deligendo est consultatum. Obtigêre nonulla *Nicolao Ujlakio* uti & Francisco de Thalocz suffragia; sed Joannis Corvini nota virtus, prudentia, æquitas palmam tulit. Sensit eam rem graviùs, ac oportebat, *Ujlakius* noster, cujus animum ut mitigarent Proceres, ad Vajvodatûs Transylvaniæ Banatúsque Machoviensis munia, trium quoq; Illyrici Regnorum Præfecturam an. 1449 adjecêre. (*i*) Sed excelsus *Nicolai* animus, majorâque semper anhelans, ubi à morte Ladislai, novi in comitiis dicendi Regis dies dictus fuisset, spem ipsius quoque Regni non exiguam conceperat, qua cùm se frustratum, Matthiámque Corvinum, Hunyadi Joannis filium, sibi præpositum cerneret, omnes curas in id transtulit, ut Matthiæ, quà quà posset, incommodaret.

Ladisl. V. *Rex.* 1452.

Opportunam ejus rei gerendæ occasionem varia, quibus Matthias distinebatur, bella præbuêre, qui præter Turcicum & Bohemicum Austriacô etiam, quod recuperandæ Sacræ Coronæ causâ à Friderico retentæ susceperat, annô salutis

Matth. I. *Rex.* 1458.

(i) *Rattkai Lib.* 3.

tis nostræ 1459 occupatus, vires multifariam dividere necesse habuit. Ea opportunitate usus *Ujlakius*, ut molestus Regi esse pergeret, cum nonullis Ungarici nominis Proceribus Imperatori adhærescens, Regnum, quod consequi non poterat, perditum ibat. Occurrit propriam populanti patriam ad Körmöndinum Simon, Magnus Corvini copiarum Ductor, sed quem viribus tunc & numero inferiorem cum tribus suorum, quinque Cæsareorum millibus facilè *Ujlakius* fugavit; ea tamen hìc illum moderatione usum scribunt, ut fusis Regiis, à profusione civilis sanguinis jusserit abstinendum. Matthias, ut tantum talémque virum, sibi Reipublicæque lucraretur, quem ferro non poterat, beneficiis devincire statuit, promissáque Bosnensis Regni coronâ eodem 1459 anno ab Imperatoriis partibus ad suas revocavit. Non multis verò pòst annis, cùm jam non præliis, sed Oratoribus pecuniáque de recipienda à Cæsare corona ageretur, 1463.
inter Legatos Corvini *Nicolaus* missus redemptum sexaginta aureorum millibus sacrum pignus velut ab exilio reduxit, quo, anno mox sequente, Matthias solemni ritu caput cinctus, *Nicolao Ujla-*

kio in Illyrici Præfectura Collegam dedit *Emericum Zapollya* (*k*) Ducem belli illustrem, ac posteà annô 1486 Ungariæ (*l*) Palatinum. Hujus *Emerici* potissimùm virtute Matthias Jaiczam cum vicinis arcibus Turcis eripuit, ac propterea perorantibus vel ipsis, quæ inter oppugnandum accepit, vulneribus, toti, quæ Matthiæ parebat, Bosniæ Gubernatorem annô 1463 præfecit.

Emericus Zapollya *Dal. Cr. & Sclav. Banus.* 1464.

Ceterùm quot annos Illyrico *Nicolaus* præfuerit, certum non habeo, quem *Timonius*, narrans Legatos Machometis Agriam ad Matthiam Regem ab *Nicolao Ujlakio* adductos annô 1468, Banum Machoviensem Dominúmque Sirmii, & extremorum Ungariæ finium duntaxat Custodem nominat, uti pariter ante annum 1463 Sclav. præfuisse non memorat. *In Decreti certè 2di* ad annum 1464 conclusione *Ujlakius* Vajvoda Transilv. & Machoviensis Banus tantùm; *Zapollius* verò Dalm. Croat. & Sclav. Banus nominatur. Supplevit tamen Illyrici Præfecturæ jacturam Matth. (*m*) dum *Nicolaum* ob rem contra Machumetem præclarè gestam Regem Bosnæ

1474.

Vra-

(k) *Matth. 1. Decr. 2. in Con.* (l) *Ejus. Decr. 6. in Concl.* (m) *Sam. Tim. in Imag. N. Un. c. 18.*

Vratislaviæ agens dixit; Filium verò *Nicolai* Laurentium Sirmio Ducis potestate præfecit; qua de re majorem in modum gloriari Matthiam dicerèque solitum accepimus: *quia obnoxium sibi haberet Regem, se Archi-Regem esse.* Mortuus dein, nescio quando, *Nicolaus* est, sed ità, ut in Historicorum monumentis, atq; in Galgoczienſium PP. Franciscanorum sacra æde, quam ille cum Monasterio, socio liberalitatis Comite de Cheli-Chak annô 1464, impetratâ ad id à Pontifice Max. veniâ, erexit, etiamnum vivat. Est autem Galgoczium secundo ab Tyrnavia, nobili Musarum colonia, lapide situm trans Vagum amnem oppidum, quod quia Slavis Frastak dicitur, inde *Ujlakio* Fristacii & Fristaczkii nomen hæsit. Quodsi *Ujlakius* ad annum 1476 vitam produxit, Matthiæ Regis nuptiis cum Beatrice initis Paranymphi munere interfuit; meminit quippe Regis Bosnæ præsentis *Palatini Comitis Legatus* de hac re scribens. Harum nuptiarum apparatum si nôsse cupis, *Bonfinium* (*n*) consule, & veterum Ungarorum magnificentiam mirare.

JOAN-

(n) *Decad. 4. L. 4.*

JOANNES VITTORICH
DE GREBENIN,
ET
JOANNES THUZ DE LAK
Banus Dal. Croat. Scl. & Bosnæ. 1467.

NOn desunt, qui Ujlakio in Regnum evecto *Jan*, vel *Joannem Wittorich* de *Grebenin*, ac huic post triennium vitâ functo *Joannem Thuz* ad annum 1465 successorem datum scribant. Verùm cùm Ujlakium Regem à Matthia dictum annô 1474 constet, necesse esset, *Wittorichium* ad eundem annum, *Thuzium* verò ad septuagesimum septimum, quod tamen *Rattkaio* non probatur, rejicere. Malim proinde *Thuzium* cum *Timonio* ad annum 1467 in Illyrici Bosnæque Banatu collocare Ujlakio nondum quidem Rege facto, alia tamen de causa Præfecturâ Illyrici cedente. Hic itaque *Joannes Thuz* Osvaldi Zagrabiensis Episcopi frater jam annô 1465 M. Tavernicorum totiúsque Zagoriæ Comes postquam Croatiam ceteráque Regna Vicaria pro Rege potestate moderari cœpit, militari, quâ pollebat, animi ferociâ & pene in crudelitatem prona indole adeò à se omnium alienavit animos, ut multi de

ti de nobilitate quererentur vi & armis non legibus Rempublicam administrari. Quæ, ubi ad Matthiam perlata, permovêre æqui justíque amantem Regem, ut eum annô ejusdem seculi septuagesimo tribunatu cedere juberet. Novem post annis dum compositis utcunque in Bosnia 1479.
rebus Zagrabiam venisset Matthias inter ceteros Optimates, qui cædium, latrociniorum, rapinarúmque accusabantur, *Joanni* quoque *Thuzio*, incertum cujus rei causâ, diem dixit. Verùm is inimicorum declinaturus invidiam, relictis, quæ in Ungaria Sclavoniáque oppulentissima habuit, oppidis, Venetias, qua in Urbe posteà vivere desiit, cum filiis sexagintáque aureorum millibus se recepit. Cognita ibi viri dignitas id apud Venetos effecit, ut eum Patritiorum albo insertum non pacatè duntaxat, sed honoratè etiam vivere vellent.

BLASIUS MAGYAR
Dal. Croat. Scl. & Bosnæ Ban. 1470.

B*Lasius* nondum Banus publicis sub Matthia admotus muniis, Svehlam Bohemorum latronum Ungariam infestantium Ducem in arce Kosztolanensi secundo ab Urbe Tyrnaviensi sita lapide obse-

1465. obſedit primùm, tum effugere parantem ſed captum cum tercentis & quinquaginta ſociis in crucem pro ipſis arcis portis egit, ut territos hoc ſpectaculo reliquos deditionem facere cogeret. Alterô verò mox in ipſa Bohemia geſtô bellô, quod Matthias Georgio Podebradio
1468. annô jam 1466 ab Eccleſiæ unione reſciſſo intulerat, eam laudem retulit, ut expugnata Spilperga arce Ulyſſis paſſim ob rerum bellicarum aſtum; in ejus verò palæſtra exercitatus Paulus Kiniſius atque in eadem expeditione ſocius, Ajacis nomen ob inauditam animi corporiſque fortitudiné referret. Nactus verò quatuor, ut vel exinde ejus dotes cognoſcas, Regnorum Præfecturam, Turcis annô 1470 ultra Savum Sabacsium ædificantibus aliud cum Gabriele Colocenſi Archi-Epiſcopo munimentum oppoſuit, quo barbarum hoſtem à latrociniis & cædibus prohiberet. Nec tamen proſpera ità *Blaſio* fuêre omnia, ut non interdum novercam & ipſe fortunam experiretur; annô namque 1475 ad vaſtandam Valachiam cum ſex Ungarorum millibus abire juſſum, à Stephano ejus Provinciæ Vajvoda ad internecionem cæſum fuiſſe ſcribunt Poloni Matthiæ Regi ſemper infen-

ſi:

ſi: negat *Timonius* (o) *Blaſium* per populoſam atque tumultuantem Tranſylvaniam, quæ, *Cromero* teſte, recens in Stephani partes deſciverat, cum ſex duntaxat ſuorum millibus ſe Valachiæ inferre potuiſſe. Felicior fuit anni 1479 Boſnenſis expeditio, in qua Stephanus Scepuſienſis & Petrus Gara hoſtem ultra Jaiczam ſecuti in oppido Verbocio ad internecionem pene ceciderunt, eandem & ipſi vicem accepturi, niſi 300 Croatæ equites à *Blaſio* opportunè ſubmiſſi in Turcam, qui laborantibus ſuis auxilio accurrerat, mira animi fortitudine illati, ſocios Ungaros extremæ cladi eripuiſſent; hi enim non ſolùm repreſsêre barbari impetum, ſed ſpoliis etiam divites matura jam hyeme Zagrabiam cum Rege Matthia rediêre.

Hic Rex dum agit, adfertur Joannem Frangepanum adversùm Veglienſes in- 1480.
ſulanos refractarios Matthiam Regem implorare: expeditur illico *Blaſius* bellúmque pro Frangepano apparare jubetur. Verùm Joannes inconſtans, remiſſo, quod in Veglienſes habebat, jure Venetis, in eorum urbem demigravit: quare ne miles fruſtra coactus videretur, eum Mat-

(o) *Synop. Chron. parte 3.*

Matthias *Blasio* & Joanne Nagy Ducibus in Apuliam misit, Ferdinando Regi Hydruntum adversùm Turcas obsidenti, auxilio futurum. Ubi primùm in Apuliam trajiciens *Blasius* castris se Ferdinandi adjunxit, Illyricas ostentaturus vires, ut eadem, qua in conspectum hostilis urbis venerunt loca, cum Turcis congredi liceret, petiit, & impetravit. Fecit rem pro virili *Blasius*, ac turri, quæ magnô præsidiô tenebatur, expugnata, adeò barbari ferociam domuit, ut is solitis procursionibus nostris molestus esse non auderet. Compulsis demum ad deditionem hostibus magnis à Ferdinando Ara-
1481. gonio Siciliæ Neapolísque Rege *Blasius* excultus muneribus plenus veræ laudis revertit, Matthiæque propterea, quoad Rex iste vixit, charus extitit. Erepto dein nobis an. 1490. Rege gloriosissimo cùm varias in partes electuri novũ Principẽ Proceres distraherentur, electum posteà Uladisl. II publicare noluerunt priùs, quàm, *Sambuco*, aliàs *Samboki*, Tyrnaviensi Ungaro & claro scriptore teste, Croatiæ Banus declarationi interesset. Abfuit tamen ab Uladislai inauguratione ab Alberto ejus fratre in suas partes traductus: cui ut fidem probaret, quadringentos expe-

expeditos equites, quos Beatrix Matthiæ vidua amore Uladislai capta ad removendum ab Cassoviæ obsidione Albertum miserat, aggressus fugavit. Ultima hæc *Blasii* victoriarum fuit, eodem namque anno è vivorum sublatus numero, Alberti partes non modicùm labefactavit. Hic ille *Blasius* est, quem sola virtus è gregario milite in summo pene honorum apice collocavit. Reliquit is filiam unicam Benignam Paulo Kinisio jam antè in uxorem datam.

Invenitur quidem in vetustioribus Sclavorum monumentis annô 1475 *Joannes Ernust* Comes Zoliensis Sclavoniæ Banus, item *Ladislaus Hermannus de Gereben* ejusdem Vice-Banus, simul & Provinciæ Crisiensis Comes. Ad annum verò 1476 Sclav. Banus *Petrus Bochkay de Raszinia*; cùm tamen *Blasium* nusquam Provinciâ motum legamus, dicendum est: *Petrum* ceterósque id muneris gessisse, dum *Blasius* variis extra Illyricum expeditionibus distineretur, aut certè ejus Collegas, quod aliàs factum etiam, fuisse. Quia tamen annô 1486 (*p*) Banus Dalm. Croat. & Sclav. *in Corpore Juris Ungarici* non *Blasius*, sed tantùm

Joannes Ernust *Scl. Ban.* & Ladis. Herman. de Gereben *Vice-Banus.* 1475.

Petrus Bochkay *Scl. Ban.* 1476.

F *Mat-*

(p) *Matthiæ* 1mi *Decr.* 6. *in Concl.*

Matthias Gereb nominatur, forſitan *Blaſius* Budenſi tunc arci Urbíque, in qua Corona ſervabatur, præfuit; cùm *Bonfinius Blaſium* quempiam Budenſibus ad ea tempora Præſidem datum ſcribat.

MATTHIAS GEREB
DE WINGARDTH.
Dalm. Croat. Sclavon. Banus. 1484.

MAtthias Gerebus, jam annô 1484 à *Rattkaio* in numerum Banorum relatus, Petri Gerebi Palatini frater Matthiæque Corvini conſobrinus ſub eodem Matthia primis belli initiis poſitis, virtutem ſuam ſub ipſa Jaicza (*q*) luculenter probavit; cùm enim Muſtapha Turcarum Tribunus datis ad Regem literis fortiſſimum quemque ad pugnam ſingularem depoſceret, nemóque in univerſo reperiretur exercitu, qui periculi plenam aleam non formidaret, id verò *Gerebus* admodùm tum adhuc juvenis ferendum non ratus, impetratâ ab Rege veniâ, manus cum Muſtapha conſeruit, obtruncatíque barbari caput ad pedes Regios projecit. Delectatus adoleſcentis virtute Matthias, tametſi is non ſine vulnere victoriam retuliſſet, eum nobili equo aure-

(q) *Ab ovo dicta, cujus formam refert.*

aureísque calcaribus, singulari nobilitatis nota, spectante toto exercitu donatum, publicis laudibus honestavit. Hoc ille virtutis suæ edito specimine, frequentibus posteà exercitus præliis viam sibi ad Banatum aperuit, potitúsque Illyrici Præfecturâ cùm septem Turcorum millia per Croatiam ad populandam Carinthiam Carnioliámque irrupissent, eos 1284.
reduces spoliísque divites ad Unnam amnem, quà is Savo sub Dubicza arce miscetur, adortus, adscito etiam in belli societatem Bernardino Frangepane, Lupo Despote, & Petro Garay, internecione delevit, præda omni, ac, quod charissimum illi, decem millium captivorum turba recepta. Adstitit dein morienti Viennæ 1490.
Matthiæ Regi, Uladislaíque coronationem miro equorum, armorum, famulorúmque apparatu exornavit, annô ipsemet 1493 tumulo illatus.

LADISLAUS DE EGER-VÁR.
Dal. Croat. Scl. Banus. 1492. (r)

UTilem *Ladislaus* vivo adhuc Matthiæ bello Austriaco navavit operam, Regióque Dux datus exercitui Silesiam Lusatiámque magna sui com- Uladisl. II. *Rex.* 1490.

 men-

(r) *Uladislai II. Decr. I. in Concl.*

mendatione gubernavit. Translatus post hæc in Illyricum, Turcarum copias memorabili clade quinque eorum millibus neci datis affecit, depulsísque eâdem Provinciâ Germanis, cives ad pristinæ fidei officium revocavit. Nec diu posthæc ipse supervixit, annô 1494, ùt *Bonfinius* vult, in officio Tavernicorum Magistri fatis cedens; vixisse tamen eum annô adhuc 1495 certum habeo, cùm in fine statutorum ejusdem anni Tavernicorum Magister legatur.

JOANNES CORVINUS
Dalm. Croat. & Sclav. Banus. 1494.

DEjectum spe Regni paterni *Corvinum Joannem* solaturus Uladislaus ad Sclavoniæ, Liptoviæ, & Opaviæ Ducatus, Dominatúmque Bajmoczensem, quibus titulis vivo dum Patre honestabatur, Regnorum quoque Croatiæ, Sclavoniæ, & Bosnæ possessionem ea lege adjecit, ut absoluta quidem ac Regia potestate iis præesset, si tamen absque liberis, uti factum, decederet, omnia rursum Regis Ungariæ dominatui subjicerentur. Verùm Bani ille contentus titulô dum Sclavoniam, quam teste *Rattkaio* Pro-Regis nomine annô primùm 1494 mode-

moderari cæpit, petiturus annô 1491 Budâ egreditur, à Jacobo Székelio Imperatorias partes fecuto opulentiſſimis Paternis theſauris per ſummam injuriam ipſo in itinere ſpoliatur: magnos hos fuiſſe vel ex uno 70 millium florenorum torque conjice, quem viſum à ſe Venetiis *Gregorius Petthö* rerum Ungaricarum ſcriptor commemorat.

Nîl tamen eo damno accepto turbatus *Joannes*, magis doluit Croatiam inteſtinis diſſidiis, ac Cæſarea cumprimis factione perturbari. Defecerat quippe ad Germanum Chriſtophorus Frangepanus connivente Bernardino Patre, Zagrabiensísque Civitas admiſsô 600 Theutonum præſidiô Uladislao *Joanníque* parere detrectabat. Cives proin ad officium revocaturus *Corvinus* Urbem tam arcta obſidione cinxit, ut prohibito exitu, omnem procurrendi rapinásque exercendi facultatem ademerit. Unus adhuc Jacobi Székelii adventus obſeſſos confirmabat; verùm & hoc à *Joanne* cæſo, Zagrabienſes ſpe omni abjecta Ger- 1491.
manis incolumibus abire permiſſis ſe ad arbitrium Victoris dedidêre. Exhis cùm pateat *Corvinum* ab Uladislai ſtetiſſe partibus, non ſine cauſa mirum *Timonio* in

ſua *Novæ Chronologiæ Synopſi* videtur id, quod de *Hanſelico* ſeu *Joanne Corvino Cromerus* tradit, eum ſcilicet cum Maximiliano Cæſare ab Uladislao hoc eodem anno profligatum eſſe.

Compoſitis hunc in modum publìcis in Croatia turbis, privatas, quæ inter Bernardinum & Joannem Frangepanos intercesserant, diſſenſiones ſedare non potuit, propterea quòd vetus illi Belæ jactantes Privilegium neminem ſe præter Regem Judicem admiſſuros dictitarent: quorum ille tumultuum pertæſus omni Illyrici magiſtratu ceſſit, contentus ditione ſua, quam iis in regnis privato jure poſſidebat. Ceſſionem hanc actam oportuit poſt *ſecundum* Uladislai *Decretum in cujus Concluſ. anni* 1495 legitur Dalmat. Croat. & Sclav. Banus *Joannes Corvinus*. Reſumpſit tamen eandem rurſus dignitatem daturus aliquid præcibus Uladislai, ùt infrà viſuri ſumus. Opportunè hic mihi memorandus venit Petrus Pokius è Mérgeſſionum ortus genere, Bajmoczenſis Præfectus Arcis, qui, quòd *Corvini* vitæ inſidias ſtruxerit, neque arcem eidem *Corvino* Domino ſuo reddere voluerit, Judicum ſententiâ in fruſta proditorum more annô paulò antè

tè dictò sectus, temeritatis refractariæ pœnas dedit.

EMERICUS DERECZENNIUS, ET JOANNES BOTHUS.

Dalmat. Croat. & Sclav. Bani. 1491.

PLures hoc tempore Illyrico fuisse Banos ex eo constat, quod præter Ladislaum Eger-Vára Joannémque Corvinum, *Emericum* quoque *Dereczennium* ad annum 1491 Banum legam apud *Gregorium Petthö.* Cùm verò in Decretis Regum Ungariæ non omnes, sed unus duntaxat, nominentur, dicendum est reliquos secundarios, ùt dicimus, ac primi Collegas fuisse. Hic itaque *Dereczennius* dignitatis laborúmque socium nactus *Joannem Botthum*, eundem infelici casu sub Brinia arce, in qua se Bernardus 1493.
Frangepanus ab iniqua Segniæ oppugnatione per *Dereczeñium* nuper rejectus receperat, amisit; dum enim, qua parte foret commodior oppugnatio exploraturus mænia incautus circumcursat; plumbea glande ab arce emissa ictus è vestigio corruit exanimis. Irritatus socii nece *Emericus* hostem acriùs obsidet expugnátque: quod eò celeriùs factum, quia Jacuppem Spadonem ulterioris Bos-

niæ Præfectum magno exercitu ad vastandas Illyrici Carnorúmque regiones irrupisse certis nunciis ferebatur. Accurrerat quidem ad barbarum propulsandum Joannes Székel, seu Siculus Maximiliani Cæsaris militiæ tum Ductor; sed Turcæ incredibili celeritate usi in Modrusiensem jam reduces agrum pervenerant. Obsistit ulteriorem tentaturis reditum *Dereczennius* cum Bernardo Comite Frangepano, Nicolao item & Joanne ejus fratribus, Jacuppésque ipse multò copiosiores nostros arbitratus, ut tutò sibi in Bosniam reverti liceret, precariò postulabat; verùm cùm *Dereczennius* id se, nisi libertati redditis captivis, minimè concessurum reponeret, résque missis ultro citroque nunciis incassum ageretur, ventum denique ad arma fuit.

Lustrato tamen curiosiùs hostili exercitu, cùm eo se multò inferiorem intueretur *Dereczennius*, declinare sapienter prælium, militémque certæ cladi eximere cupiebat; verùm cùm Bernardus Frangepanus ceteríque Illyrici Tribuni pugnam ferociter postulantes, eam non sollicitudinem providam, sed ignaviam Bani interpretarentur, commotus ea re *Dereczennius*, se quidem non sui, at exerci-

ercitûs ſervandi causâ pugnam detrectâſſe reſpondit: iturum tamen, nîl dubitent, ídque unum precari, ut quem modò jactarent animum, in pugna quoque præſeferrent. Nec diu factum, cum Turcæ è denſioribus ſylvis eluctati explicatis ſignis noſtros ad certamen provocare laceſſeréque cæperunt; quo viſo Banus diſpoſitis in quatuor latera tribus agminibus, tubas canere primámque turmam ſigna in hoſtem inferre præcipit. Pugna & longa fuit & anceps; ſed reparante cladem ſuorum novis auxiliis Jacuppe 1493. victoria ad Turcos declinare cæpit. Hìc verò *Dereczennius* ad Bernardum Comitem accurrens: Eja age, inquit, vir fortiſſime, præclarámque animi ferociam, qua pugnæ præludebas, exere: quibus ille verbis, velut totidem ſtimulis animatus, acriter in hoſtem invehitur, dúmque generosè depugnat, Joannem fratrem ab hoſtibus cæſum amittit; cujus cadaver dum Georgius Blatkovich Nariſii in Dalmatia Regulus eripere conatur, funus ipſe dolorémque accumulat. Perſiſtebat tamen in certamine Bernardus; ſed vim ad extremum non ferens profugit denique cum ſuis, perturbatóſque reliquos, qui integri adhuc conſtiterant,

aciei ordines pene omnes in ſuum exemplum traxit. Reſtitit cum valido tertio agmine *Dereczennius*, ſociósque à fuga retrahere fruſtra molitus ſe in confertiſſimos hoſtes infudit. Ibi verò eum majori, quàm credi poteſt, fortitudine dimicâſſe ferunt; namque cadente etiam confoſſo lanceâ equo, non cecidêre viro bellicoſo animi, qui gladiò vitam tuitus tamdiu à ſe hoſtiles arcuit manus, dum perfracto capulotenus enſe telóque omni exarmatus caperetur. Accurrit laboranti Patri unicus, quem habebat, filius cum fratre Bani, ſed qui crudeliſſimè interfecti victima agnati ſanguinis cecidêre. Deſiderata præter hos è noſtris quinque millia & ſeptuageni ſeptem, non adnumeratis iis, qui lethalibus vulneribus ſaucii vitam domi finiêre: inter captivos, præter complures Ungarici Illyricíque nominis illuſtres equites, *Dereczennius* Banus & Nicolaus Comes Frangepanus fuit, abundéque cladem annô 1491 à *Dereczennio* ad Unnam fluvium acceptam hoſtis reddidit. Frangepanus demum multô ſe aurô redemit; *Dereczennius* verò Bajazethi dono à Jacuppe datus ínque ſeptem turrium conjectus carcerem mæ-

mærore amiſſi cum filio & fratre exercitûs tres intra menſes contabuit. (s)

Duo te hic monitum volo Lector benevole: alterum illud: quòd, ſi *Rattkaii* ſententia ſequenda ſit *Dereczennium* in ſeptem turrium carcere poſt tres menſes annô 1496 mortuum ſcribentis, dicendum erit *Dereczennium* duos & ampliùs annos in Turcia extra carcerem vixiſſe, ac demum in ſeptem turres conjectum mærore animi contabuiſſe. Alterum verò illud eſt; quòd *Timonius* (t) contra *Iſtvanffii* & *Bonfinii* ſenſum, quorum poſtremus Banum in inſula Conſtantinopoli vicina peſtilentia aut veneno extinctum aſſeverat, eum cum Nicolao Frangepano aliisque pluribus à Thoma Bakacsio 1100 mill. redemptum eſſe ex ejus temporis ſcripto probare nitatur. Suſpectum & illud *Iſtvanffii Dereczennium* Joannis Corvini locò ſe ſponte Præfecturâ abdicantis in Illyricum cum exercitu miſſum eſſe; cùm enim *Dereczennius* teſte ipſo *Iſtvanffio* annô 1493 profligatus captúsque ſit, Joannes verò Corvinus annô adhuc 1495, uti ſuprà memini, Banus in Corpore Juris Ungari-

(s) *Iſtvanffius L. 2do. ad annum* 1493.
(t) *Synop. Nova Chron. part.* 3.

garici legatur, dicendum erit potiùs, *Dereczennium* Corvini Vice-Banum aut Banalem, utì modò uſus obtinuit, Locumtenentem fuiſſe.

GEORGIUS DE KANISA
Dalm. Croat. & Sclav. Banus. 1493.

AUdita ea noſtrorum in Croatia clade Uladislaus, nequid detrimenti Provinciæ ſuo capite deſtitutæ acciperent, *Georgium* illico, aliis *Ladislaum de Kaniſa* cum novis legionú ſupplementis Bani nomine miſit, cui oræ prætereà maritimæ præpoſito Jaiczæ & Segniæ tuendæ negotium dedit: annô certè 1498 trium Regnorum Banum fuiſſe ex *Uladislai* II. *Decr.* 3. clarum habemus. Vix inito magiſtratu, quàm eximias ad moderandam Rempublicam attulerit dotes, ſopitis inter Oſvaldum Zagrabienſem Præſulem, & Joannem Corvinum diſſidiis, &, quæ inde orta erant, bellis civilibus, palàm fecit. Oſvaldus quippe ſoluto Budæ conventu domum reverſus, dum Corvinus in Ungaria apud Paulum Kiniſium agit, caſtella Epiſcopatûs, quæ is expulsô Croatiâ Germanô occupaverat, armis ſtatuit recuperare. Quare Rochonico (*Illyris Rakovacz*) obſeſſo captó-

captóque arma inde ad alia oppida evocato Germano milite transtulit latè omnia infestaturus, nisi Corvinus accepto copioso à Kinisio milite, Laurentio etiam Duce Nicolai Ujlakii Bosnæ Regis filio aliisque cum equitatu ad se accito, novis his conatibus suos objecisset. Ingressus proin Zagrabiensem agrum recepit omnia, profligatóque Osvaldi trium millium exercitu omnibus Episcopatûs villis ignem subjecit: illaturúsque haud dubie majora damna fuerat, nisi *Kanisaius* ipso Osvaldo non repugnante Rochonicum Corvino restituens, renovatáque inter eos ea lege amicitiâ, ut Majestatis is reus postularetur, qui prior à fœdere recederet, gliscentem belli crudelioris fomitem maturè restinxisset. Eripuit virum illustrem annus 1500, intérque illi similium: id est magnorum Heroum manes collocavit.

JOANNES CORVINUS
Dalm. Croat. Scl. secundò Banus. 1500.

EOdem anno *Joannes Corvinus* Regi se gratum exhibiturus Præfecturam Illyrici magno earum Provinciarum bono recepit; (*u*) Bajazetes enim proferendi

(u) *Uladislai II. Decret. 4. in Concl.*

di imperii avidus vaſtatâ Dalmatiâ, Naupactum, Dyrrachium, Methonem, Cephaleniam inſulam pluráque alia Venetis eripiens Illyrico univerſo vaſtitatem minabatur. Conturbati ea re Veneti, ad Ungaros, familiarem ſibi his in procellis portum, confugiunt, miſsóque Petrô Paſchalico auxiliares ab Uladislao copias poſtulant. Aſſenſit ea conditione Uladislaus, ſi Reſpublica eum pecuniæ numerum, quem Matthiæ in ſingulos annos pendere conſueverat, nunc quoque ſolveret, donec bellum gereretur. Quod poſtquam Legatus facturam Rempublicam fide data recepiſſet, *Joanni Corvino*, Joſepho Somio, Petro item Comiti S. Georgii cura ſcribendi militis hoſtémque laceſſendi demandatur. Geſta hæc annô adhuc 1500. Sequenti verò cùm Turcæ bellô ſe ab Ungaris & Illyris peti non obſcurè intelligerent, ſtrenuè & ipſi ſe ſe comparant, útque non repuliſſe, ſed intuliſſe arma viderentur, Jaicziá Boſnæ Regni caput adorti, acri eam obſidione
1502. cingunt; ſoluturus hanc *Corvinus* cum expeditiſſimis copiis illico adfuit, póſtque arce aliquamdiu certamen Turcæ fuſi ad quatuor ſuorum millia deſiderarunt:
mil-

mille ex noſtris aut eo ampliùs interfe-
cti ſunt, nec multò pauciores ſauciati.

Liberatâ Jaiczâ *Corvinus* non exiguam apud omnes laudem conſecutus plurimùm eam auxit, dum Turcas vindictæ aviditate eodem nondum evoluto anno Savum transmittentes in Raſcia profligavit. *Cromerus* ad Bodon uſque nobile in ripa Danubii emporium procurriſſe Ungaros memorat, *Iſtvanffius & Petthő* vi loco potitos eſſe ſcribunt. Poſitis verò pauliſper armis, ut operam ſuam in toga quoque Patriæ commodaret, interfuit Conventui annô 1503 in campo cancrorum (*Rákos mező*) celebrato, in quo inter cetera querebantur Ordines Moraviam, Sileſiam, ac Luſatiam, quas ſub Matthia Rege Ungarico Imperio obnoxias meminerant, Bohemiæ denuo adjungi. Verùm autumnus anni 1504 die Octobris 12 victoriarum pariter & vitæ *Corvino*, dum annum ageret 35, finem attulit. Sepultum cadaver pompâ tanto Principe dignâ Lepoglavæ apud PP. Eremitas à S. Paulo dictos, quorum Templum & Monaſterium ab Hermanno Bano conſtructum novis cum Beatrice Frangepana Bernardi filia, Conjuge ſua prædiis,

diis, villis, Regiisque immunitatibus ditaverat. (*x*)

Et quamvis Regnorum Illyrici possessio juxta vetera pacta (imploris enim decesserat, liberis Christophoro & Elisabetha, quos ex Beatrice, posteà volente Uladislao Georgio Marchioni Brandeburgico nupta, susceperat, immaturô fatô sublatis) ad Regem Ungariæ recideret; arcium tamen, quas privato jure possidebat, amicos hæredes tabulis postremis scripsit. Benedicto certè Rattkaio viro fortissimo, omniúmque *Corvini* copiarum Duci, aut, ùt *Privilegium* loquitur: Gentium armigerarum Generali Capitaneo, castrum Nagy-Thábor, quod vulgo Vrbocz dicitur, cum Castello Jurkethincio, amœna ad Varasdinum planicie sito, possidendum dedit: cui Rattkaius vel à morte gratus futurus in eadem Divæ Virginis Lepoglavensi Æde voluit ad pedes *Corvini* tumulari. Epitaphium magni hujus Herois apud *Rattkaium* hoc lego:

Annô Domini Millesimô quingentesimô quartô, Octobris duodecima die, hora undecima nocturnali,

Heros ultimos dies Joannes Corvinus *clausit extremos,* *Sub*

(x) *Hist. Ordin. S. Pauli.*

Sub Eremo corpus ad Clauſtrum Lupoglava tumulare juſſit.
Aſpice rem charam, bini hinc inde cingunt glorioſæ Virginis Aram
Dux Joannes *& filius ejus* Chriſtophorus, *quibus adſint gaudia trina.*
Et ſequitur, dum licuit, tua dùm viguit ô Joannes *poteſtas*
Fraus latuit, pax in Regno iſto tui tempore firma fuit,
Regum atque honeſtas.

ANDREAS BOTHUS FRANCISCUS BALASSA ET MARCUS MISLENOVICH.

Dalm. Croat. Sclav. Bani. 1504.

MIſſi in Corvini locum *Andreas Bothus* & *Franciſcus Balaſſa* cognomentô *Gyarmathius* ubi Criſium, urbem juri dicendo Procerúmque conſiliis conferendis attributam, pervenêre, diſparibus Nobilium ſtudiis ſunt excepti: & *Andream* quidem æquô admisêre animô; *Franciſcum* verò, quòd ferociorem ejus indolem metuerent, quódque nullam in Illyrico arcem ditionémve haberet, repudiârunt. Intellecta eorum voluntate Uladislaus, revocatô illico *Balaſſiô*, *Marcum Mislenovich* Camiſati, nobilî

Croa-

Croatiæ locô, natum *Bothi* Collegam dixit. De utroque nihil admodum memorabile, nisi quòd *Bothus* nondum Banus annô 1495 Uladislaum Laurentio Ujlakio Duci conciliaverit, útque sub conspectum Regium interposita fide publica Quinque-Ecclesias venire posset, impetrârit. Annus dein 1512 utrique fatalis fuit, *Andrea* vi morbi diuturni oppresso; *Marcô* verò, dum equũ currentẽ in orbem circumageret, ejus lapsu luxata cervice repente exanimatô.

PETRUS BERISZLO ET EMERICUS PERENIUS.

Dalmat. Croat. Sclav. Bani. 1513.

NOn bene quidam *Petrum* hunc Episcopum Vesprimiensem traditâ jussu Regis Joanni Bornemissa Ærarii Præfecturâ inter Banos ad annum 1512 retulerunt; vacavit namque ea dignitas annô 1513, ùt ex Uladislai *Decreto septimo* constat. Dicendum proin, eum cum *Emerico* annô quidem 1513, at Uladisłai Decretô jam editô in Illyricum missum fuisse. Hoc eodem namque anno in campo Du-
1513. biczensi, ubi Unna Savo miscetur, Turcas jam Banus adortus insigni adeò fugavit fortitudine, ut cæsis ampliùs bis mille

le hoſtium, captis non paucis, plurimis in Savo demerſis, pauculis quibusdam natando evadere liceret. Habuit, utì diximus, *Petrus* Collegam *Perénium*; ſed hoc pòſteà ad dignitatem Palatini annô ejuſdem ſeculi 14tô, aut 15tô, elevato ſolus ad annum uſque 1520 rerum potiebatur: quo, dum illatas ab Turcis injurias ulciſci, captúmque Tininium, contracta ſat valida militum manu recuperare ſatagit, in itinere apud Caronnam in inſidias præcipitatus, Petróque Cruſicio invido virtutis ſuæ æmulo ſuppetias non ferente obrutus, interfectúsque fuit. Ludovic. II. Rex. 1516.

Emericus verò Prénius Jam Palatinus dum tractatus quidam inter Uladislaum Ungariæ, Sigiſmundum Poloniæ Reges, Maximilianúmque Cæſarem Viennæ cuderetur, eidem, quòd Reipublicæ Nobilitatiq; injurius eſſet, non modò ſubſcribere recuſavit, ſed vicatim etiam Poſonii contradixit; Poſtquam verò Uladislaus arcem Sároſienſem, Maximilianus S. R. I. Principis ac Ducis Saároſienſis titulum ei polliciti fuiſſent, delinitus aliquantùm, ſubſcripturum ſe quidem privato, nuquam tamen publico Palatini nomine reſpon- 1515.

 dit.

dit. Sed dum Diplomata expediuntur, ipſe è vivorum numero Budæ excedit.

FRANCISCUS BATTYANI ET JOANNES KARLOVICH.

Dalmat. Croat. Sclav. Bani. 1522.

VAcabat in annum ſecundum non modicô earum Provinciarum damnô Banatus Illyrici, pérque Pro-Regum abſentiam factum eſt, ut capta ab Turcis Oſzterviczenſi arce & oppido cladibus maximis vicina circum omnia loca complerentur. His malis opem laturus Ludovicus, *Joanni Karlovichio* è Romano Torquatorum orto genere, *Franciſcóque Battyanio* in Uladislai aula cum ipſo Ludovico unà enutrito Provincias eas moderandas tuendásque attribuit, quorum poſtremo Német-Ujvarinum etiam, Laurentii Ducis jam vitâ functi arcem, donô dedit; utrique verò annus 1525 virtutis probandæ campum aperuit. Uſreffus enim Verboſaniæ ſeu vulgò Herczegovinæ, & Sinanus Monaſterii Præfecti Ducésque Turcarum Jaiczam aliquoties improſperè tentatam majoribus viribus oppugnaturi, viginti & ampliùs millia ea expeditione adduxerant. Præerat loco Petrus Keglevich homo ſtrenuus cum

cum Legato ſuo Blaſio Cherio non minoris fortitudinis viro, arcémque, dum auxilia venirent, fortiter propugnabat. Succurrit laborantibus hortatu Regio Chriſtophorus Frangep. Ludovico Regi, cujus juſſu ob verberatum Ladislaum Szalkanum Archi-Epiſcopum Strigonienſem Budæ in manca turri triduô clauſus tenebatur, operâ *Battyanii* & *Karlovichii* conciliatus. Hic, inquam, Frangepanus cum utroque Bano, Joanne item Zrinio, Matthia Barokio Auranæ Priore, & nonnullis aliis Illyrici nominis Viris Illuſtribus obſeſſæ arci ſubvenit, productóque in diem tertium præliô, Nobilitatis potiſſimùm Croaticæ operâ plenam victoriam reportavit. Incredibilî ea res Regem affecit ſolatiô, utque Draskovichium Dalmatiæ, Croaticæ, Sclavoniæque Defenſoris pulchrâ nomenclaturâ honeſtaret, permovit. Partam tam nobilem victoriam annô, quem ſuprà attuli, *Petthő* ſcribit, *Iſtvanffius* ad vigeſimum quartum rejicere videtur.


Cùm verò annus ageretur ſupra milleſimum quingenteſimum ſextus & vigeſimus clade Mohachienſi toti Ungariæ luctuoſa celebris, tercentáque jam Turcorum, ùt *Annales noſtri* perhibent, mil- Clades Mohachi. 1526.


lia in Ungaros moviſſe certis nunciis Ludovicus accepiſſet, raptim, quos poteſt, ſub ſigna convocat, nunciósque in Illyricum expedit ſocia arma petituros. Totam hanc expeditionem cùm præter *Dubravium*, *Iſtvanffium*, *Neugepauerum*, copiosè & dillucidè *Stephanus Brodericus* teſtis oculatus enarret, nos ea tantùm attingemus, quæ Banos noſtros ſpectare videntur. Comparato itaque raptim exercitu, qui quatuor & viginti millium numerum vix exceſſiſſe ſcribitur, univerſo militi Paulum Tomori Colocenſem Archi-Epiſcopum Ludovicus præficit, ſtatutisque ad Mohachium caſtris, non expectato Joanne Zapollya, qui cum 40 mill. uti nec Chriſtophoro Frangepano, qui cum *Franciſco Battyanio* & 15 millibus adventare nunciabantur, prælium (tanta erat Ungarorum præfidentia hoſtiúmque contemptus) ſed infeliciſſimum eſt comiſſum. Periit ea clade flos primæ ſecundæque Nobilitatis, ipséque Ludovicus, dum in adverſam ripam Cſellye paludis eluctari contendit equo ſupino corruente, ità ut erat totus etiam caput armatus, in aquæ lutulento gurgite depreſſus eſt, & ſuffocatus annô

ata-

ætatis vigesimô mense secundo, Augusti die nono & vigesimo Decollationi D. Joannis Bapt. sacro.

Divulgata tantæ cladis fama quo sensu universas Provincias compleverit, pronum est cogitare. *Battyanius* certè Illyrico metuens, suo *Karlovichiique* nomine ad Clementem VII Pont. Max. Thomam Cammanianum Nobili in Sclavonia ortum Genere misit, auxilia ad tuendam potissimùm Jaiczam & Clissiam petiturum: qui licèt ob res ipsius Pontificis in angusto positas nîl præter verba commiserationis plenissima impetraverit, effecit tamen *Battyanii* vigilantia, ut eæ arces commeatu ceterisque necessariis instructæ, quàmquàm non sinè difficultate, servarentur.





SERIES BANORUM SUB REGIBUS UNGARIÆ AUSTRIACIS.

FRANCISCUS BATTYANI, JOANNES KARLOVICH, CHRISTOPHORUS FRANGEPAN.

Dalmat. Croat. Sclav. Bani. 1526.

Ferdin. I. Joann. I. Zapollya *Reges.* 1526.



Misso hunc in modum Rege, studia Procerum in diversum abiêre. Pars Joannem Zapollya, pars Ferdinandum I ad solium expetebant. *Franciscus* & *Joannes* Bani deserto, qui Albæ à plerisque Magnatum Rex salutatus fuerat, Zapollya, Ferdinando cum nonnullis Sclavoniæ Optimatibus adhæsêre. Quod ubi Zapollius rescîit, *Christophorum Frangepanum* extemplo Illyrici Pro-Regem dixit, ísque, ut Ferdinando omni modo infestus Joannes Rex esset, in Austriam & Styriam irrum-

irrumpendum ſuadebat; at ille mitiora ſecutus conſilia beneficiis potiùs, quàm terroribus partes ſuas confirmare augeréque malebat. Verùm cùm Ferdinandei trajectô Danubiô partem Regni Zapo lio obnoxiam multis oppidis interceptis incurſarent, *Chriſtophorus* quoque 1528.
Frangepanus adſcitis in ſocietatem Joannis amicis, ità ut equitum tria, decem peditum millia ſub ſignis numeraret, Ludovicum Pekrium ante alios, à quo ſe inſidiis non procul Velica arce exceptum meminerat, armis petendum cenſuit, expugnatâſque Raſiniam, Guſterocium, Pecretium, ac Petrovinam ejus arces ſolo æquavit.

In *Battyanium* dein & *Karlovichium*, per cujus abſentiam annô 1527 Udvinam comitatûs, ùt dici mos habet, Corbaviæ arcem *Karlovichio* ſubjectam Turcæ occupaverant, bellum transferre placuit. Sed *Battyanius*, quamvis exercitum *Frangepanico*, utpote Germanicis auctus copiis, parem haberet; tamen adventantis hujus famâ perculſus tranſitô Dravô ad Ormoſdum in Styria ſitū ad ulteriorem fluminis ripam oppidum ſe recepit. *Frangepanus* intellectâ *Battyanii* fugâ hoſtem inſequi periculoſum judicans ad Zamla-

ciam castra reduxit, adhibitísque in consilium militaribus Tribunis Varasdinum obsidere decrevit. Itaque editô profectionis signô tormenta promoveri eorúmque Magistros cum peditatu præire jubet, quos ipse mox cum equitatu secutus, in agro suburbano castra locat, suggestúsque, in quos tormenta attrahantur, erigi præcipit: verùm dum operi invigilat, incautiúsque, quàm summum Ducem opportebat, inambulat, ab præsidiariis Palatini militibus serena luce agnitus, globô è minore tormento missô lethale inter femur & umbilicum vulnus accepit; ne tamen infelici suo casu aliorum pariter caderent animi, suppresso dolore equum poposcit, ínque castra reversus, cùm vim mali majora in horas singulas incrementa accipere sentiret, convocatos Duces gravi sermone allocutus, iis ac Joanni præcipuè Tahio Ordinis Rhodiorum Equitum Auranæ Priori Regem Joannem ne desererent, commendavit. Ingruente dein nocte essedo impositus cùm ad pagum Martinachium perventum esset; magno suorum dolore fuit extinctus. Atque hic erat Viri nobilissimi déque Domo Austriaca Venetô quondam bellô optimè meriti, in quo

ca-

captus, operâ uxoris suæ mirabiliter libertatem recepit, exitus. Cadaver Modrusiam delatum in magna clientum veteranorúmque militum frequentia terræ mandatum fuit; opes verò amplissimæ Ferdinando fratri; improlis enim decesserat, obvenêre.

Audita æmuli morte *Battyanius* conventum Crisii indixit, in eóque omnes Illyrici Proceres, si Joannem Banffium & Simonem Zagrabiensem Præsulem demas, Ferdinando Regi conciliavit. Inter hæc dum ferro linguísque certatur in Croatia, Turcæ Jaiczam ignaviâ Stephani Gorbonokii decimo oppugnationis die occupant, nec multò pòst cum Banyaluca reliquam etiam Bosniam ditioni suæ adjiciunt. Eandem sortem *Karlovichii* Bani, qui in arce Medved gravi annô 1531 pressus ægritudine diem supremum obiit, oppida experta sunt, devoluto in Turcorum potestatem toto *Karlovichii* Comitatu, Corbaviáque Urbe Episcopali primaria subacta. Situs est hic *Karlovichius* in Rhemetensi Patrum Paulinorum Monasterio; qui, cùm sinè liberis ultimus Cyriacorum seu *Karlovichiorum* decederet, amplissimum patrimonium Joanni & Nicolao Zriniis sua 1528.

ex

ex ſorore filiis approbante Ferdinando poſtrema voluntate legavit. Memores illi accepti beneficii, ut vicem, quam poſſent, redderent, hos inſigni erecto monumento verſus incidi fecerunt:

Sepultus genere Spectabilis, militiáque præditus, Magnificus Dominus TORQUATUS, *Comes Corbaviæ, Regnorúmque Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclavoniæ Banus mole ſub hac tegitur.* Supra ſtemmata verò: *Scio, quòd Redemptor meus vivit &c.* Annô M.D.XXXI.

In inſignibus duo Crocodilli lapidem ambiunt, qui pendulo ab ore torque inſignes, cygnum cum tribus coronis complectuntur: harum una capiti adhæret, altera collo, tertia pedibus, ſub hac tres fluvii ſtemma abſolvunt. Nec te *Torquati* nomen attonitum Lector teneat; re ipſa namque *Karlovichius* hic ex ea Illyrici Nobilitate fuit, quæ non dubiis argumentis genus ſuum ad MANLIUM Romanum equitem, Torquatum poſteà dictum refert, cujus MANLII poſteri Romanis factionibus impulſi poſtquam in Croatiam delati nobilem in finibus Dalmatiæ arcem *Karlopagh* vocatam occupâſſent, *Karlovichiorum* nomen accepêre.

At

At *Battyanius* audita Collegæ morte, ut reliquam vitam pacato ſibi agere liceret, Præfecturâ Illyrici ſponte quidem, magnô tamen eorum Regnorum detrimentô, ceſſit, propterea quòd multos poſteà annos Pro-Regis dignitas vacaret. Nec plura fere de hoc *Battyanio* apud Hiſtoricos; niſi quòd ad annum 1534 inter eos Magnates Hungaros, qui cum Petro Keglevichio poſteà Bano admittenti ſub conſpectum Legatum Turcicum Ferdinando longo ad dextram ordine adſtiterunt, fuerit, annóque 1540, quo Joannes Rex vivere deſiit, repetendæ ejus Ungariæ, quæ Joanni parebat, vehemens author extiterit. Palatinatus ipſe annô 1554 illùm manebat; niſi is ſenium obtendens Thomæ eam Nadasdio dignitatem ceſſiſſet; mortuô tamen poſteà Nadasdiô, cùm Maximilianus in 1563. Regem ungeretur, vacante rurſum Palatini ſede, Coronam prætulit, quod facere Palatinis aliàs in more. Annus tandem 1566 octogenario proximum, Magiſtrúmque tunc Tavernicorum, ac quatuor Regum conſuetudine celebratum tumulo intulit, illuſtríque Cive Patriam ſpoliavit.

PETRUS

PETRUS KEGLEVICH,

E T

THOMAS NADASDI.

Dalmat. Croat. Sclav. Bani. 1538.

1536. HAbito circa feſtum S. Eliſabeth conventu obteſtabantur Ferdinandum Ungariæ Proceres, ne Pro-Regis ſociorum Illyrici Regnorum Magiſtratus, quo Battyanius jam annô 1531 ſe abdicârat, cum extrema earum Provinciarum pernicie diutius vacaret. Aſſenſit æquiſſimo poſtulato Ferdinandus Rex; Bani tamen incertum quâ causâ *Petrus Keglevich* Jaiczæ olim Præfectus, & *Thomas Nadasdi* annô primùm ejuſdem ſeculi trigeſimô octavô ſub idem tempus dicti,
1538. quo Turcæ Dubiczenſem & Jeſenocenſem arces ſubjugârunt. Addidit ea res novis Banis animos, útque eximium & ipſi quidpiam adversùm hoſtem auderent, atque cum Zagrabia ceteras, quæ ſupererant, arces periculo eximerent, ſtimulavit. Quare *Nadasdius* ſine *Keglevichio* tamen, quem inopinus morbus intra domeſticos parietes tenebat, in campum progreſſus, Jeſenocium recepit, ſolóque æquata arce prædam omnem diviſit in militem; tantus hic oppugnan-

tium

tium noſtrorum ardor extitit, ut admotis ſcalis puncto temporis, commendata ea in re Marci potiſſimùm Tomaſſovich virtute, propugnaculis miles potiretur. Allectus ea victoriæ dulcedine Illyricus exercitus ultrà progreſſurus erat, comparatáque Saicarum aliquot ſeu Naſſadarum claſſiculâ Dubiczam quoq; eo impetu recuperaturus videbatur, niſi repentinus de appropinguante ingenti barbarorum multitudine allatus nuncius conſilia omnia disjeciſſet.

Nec plura fere de his in Banatu geſta; quàm quàm antea bellô clariſſimi eſſent, prudentiáque uſu rerum multiplicium comparata authoritatis apud omnes plurimum haberent. *Keglevichii* certè virtutem commendant literæ Ferdinandi Regis annô 1540 (*y*) datæ, ex quibus patet *Keglevichium* jam tunc ſolum in Illyrico rerum potitum eſſe; qui tamen optima initia diſpari claudens exitu, ob meditatam ad Turcam defectionem, aliásque graves cauſas, quas in *articulo* 43 anni 1542 (*z*) videre licet in ordinem, cùm jam ſeptuageſimum exceſſiſſet annum, redactus, Nicolaum Zrinium ſucceſſo-

(y) *Rattkai L.* 2. (z) *Corpus Juris Ungarici.*

cessorem invitus accepit, vitámque reliquam privatus exegit.

Sed ad *Nadasdium*, quem Banatu cessisse *Istvanffius* vult in comitiis Posoniensibus annô 1542 celebratis: *Rattkaius* verò id jam annô 1540 ex literis Ferdinandi ad *Keglevichium* datis factum convincit, redeamus: Patre is Francisco natus, Græcii primùm Styrorum humanioribus, tum Bononiæ Romæque Philosophicis excultus disciplinis variæ eruditioni Italum quoque sermonem adeò feliciter adjunxit, ut dum eo uteretur, natum enutritúmque in Latio judicares. Cataphractis dein equitibus Dux datus triplicem Legationem Romam ad Pontificem, Spiram ad Carolum V. Viennam ad Ferdinandum obiit, ídque meritus est, ut à postremo Fogaras castrum Budensísque arcis Præfecturam annô 1528 acciperet. Parebat tum Ferdinando Buda, sed quæ haud ità multò pòst in Solimani Viennam oppugnaturi, Jo-
1529 annis Traubingeri, & Christophori Pesserii Germanicorum Præfectorum socordiâ, potestatem venit; illi enim inter dimicandum oblata immunitate deditionem pacti, cùm sibi adversaturum *Nadasdium* non vanè metuerent, eo in ergastu-

gastu-

gaſtulum conjecto nec quidquam reclamante arcem hoſti prodiderunt: ſed proditoribus omnibus contra datam fidem à barbaro trucidatis, *Nadasdius* è ſuo antro protractus non modò detrimenti accepit nihil, ſed potius ùt ſtrenuus Dux à Tyranno collaudatus, præmiisque in ſuas partes ſollicitatus, cùm id facere renueret, humaniter teſte *Jovio* dimiſſus fuit. Varius tamen hoc in loco Scriptorum ſenſus: *Gregorius Petthô* Joanni Regi donô datum aſſerit; *Iſtvanffius* verò rem multò aliter recenſet; cujus tamen narrationem *Timon* (*a*) inter fabulas reponit. Ait quippe *Iſtvanffius Nadasdium* ergaſtulô eductum, atque ab Ibraimo aſpere objurgatum eſſe; tum certis Chauſiis (Legatos ea vox notat) ac Janitsaris traditum, à quibus deduceretur ad Danubium, quaſi Joanni Regi dedendus foret; re autem vera in flumen præceps agendus. Quare *Nadasdius* obſervatô capitis proprii periculô in ſcapham repentè inſiluit, Turcisque ſe retinere volentibus chlamidem dimiſit, ac demum grandi niſu cum aquis luctatus ſub veſperum in adverſam ripam, in qua Joannes Rex caſtra habebat, incolumis quidem,

 ægre

(a) *Synop. Nov. Chron. part. 3.*

ægre tamen evasit. Suspecta hæc, utì innui, *Timonio* est narratio, quam etsi ex parte ità accidisse non neget, dissimulantibus tamen, miniméque invitis, utpote quibus ad manum scaphæ erant, Turcis eum elapsum fuisse scribit.

Dissentientibus his duobus Scriptoribus, utri voles Lector, assentiare ego id
1529. certum habeo *Nadasdium* ad Joannem abductum, an casu delatum, ejus partes aliquamdiu ità secutum esse, ut Ferdinandum animô desereret nunquam, simul tamen, cùm res posceret, Joanni fidem ad annum usque 1533 probaret: quare annô 1530 Valentinum Tőrők, qui recens ad Germanum defecerat, jussu Joannis in arce Szigethana obsedit, quem quin caperet, Ferdinandus admoto repente Budensi urbi exercitu effecit; consternatus quippe inopinatô periculô Joannes suos à Szigetho revocat, Budámque, si per hostem liceat, ingredi mandat. Accurrit illico *Nadasdius*, elusisque insidiis omnibus in arcem eluctatur, ex qua non multò pòst erumpens obviam fortè Balthasari Banffio de Thalocz factus, hastis eo eventu concurrrit, ut fractô uterque in umbone telô parem victoriam reportaret.

Ve-

Verùm *Nadasdius*, cùm res Joannis in dies pejus habere cerneret, Ludoviciq; præterea Gritti Gubernatoris crudelitatem metueret, consilium iniit Ursulæ Ladislai Kanisai filiæ in uxorem ducendæ, impetratáque discedendi veniâ nunquam rediturus abiit, Ferdinandi rursum partes secutus. Nec defuit fidei prœmium: nam & Banus Illyrici annô 1538 creatus est, & eo resignato, Judicum Curiæ adscriptus syllabo, in utroque sic versatus fuit, ut non tam accepisse ab iis dignitatibus ornamentum, sed contulisse videatur. Quindecim gerens prælia urbes partim tuitus est, partim cinxit: utrobique Ottomanum cladibus atterens, Pestanam, Jaurinensem, Lippensémque victoriam sua virtute annalibus reddidit digniorém. Ad Lippam certè segniorem intuitus militem, ut ignavis animos adderet, raptô è signiferi manibus vexillô alacer procurrit ipse ante ceteros, pérque semiruta provolans mænia illud in hostili muro defixit. Atque his factis ille promeritus est, ut Palatini dignitate, 1554.
qua infra Regiam nîl majus habet Ungaria, invitus licèt ornaretur. Elatus autem est vir illustris unico hærede Francisco relicto in castro Egervár anni 1562

ſecundo Junii, natus annos 64, quos, ùt præclarè rurſum *Scriptor Tyrnav. Judic. Cur. Non tam vixit, quàm vivendo decoravit.* Tumulo elogium Urſula, quam annô 1536 in thori ſociam accepiſſe putatur, Conjux lectiſſima inſculpſit.

Illuſtriſſ. D. THOMÆ NADASDIO, *ſummô ingeniô, ſingulari virtute, complurium linguarum peritiſſimo, pace bellóque clariſſimo, in Italia optimarum artium ſtudiis imbuto, indéque cum Cardin. Cajetano Budam reverſô, Regi Hungariæ Ludovico à Secretis, ac poſt ejus fata varia viciſſitudine acto. Primò auſpiciis melioribus Budenſi Præfecto, mox urbe Buda militum inconſtantiâ Turcis dedita, Solymani potentiâ in Joannis Regis arbitrium redacto, iterum patriæ reſtituto. Sacratiſſimi, & potentiſſimi Rom. Hun. Boh. Sclav. Dalm. Croat. Regis ac Imper. Ferdinandi I. Conſiliar. primùm Tavern. Reg. Magiſt. mox Dalm. Sclav. & Croat. Bano. Deinde Judici Curiæ, ſtatim ſupremo Generali Capitaneo, poſtremò Palatino regni, ac Pro-Regi optimo, fideliſſimo, conſilio armíſque Turcarum profligatori, patriæ illuſtratori Conjux amantiſſima.*

U. C. M. P. P.

NICO-

NICOLAUS COMES à ZRINIO.
Dalm. Croat. & Sclav. Banus. 1542.

ZRinius (*b*) in locum Keglevichii, cui imperium abrogatum meminimus, ſuccedens, fide præprimis in Ferdinandum Regem ſe fecit commendandum; nam ei adversùs Zapollium adhæreſcens turbantibus in Sclavonia hoſtibus ſtrenuè ſe cum Petro Keglevichio oppoſuit, Kaczianerúmque exercitûs Ferdinandi in Illyrico Ducem, ſed ob rem ejus culpâ malè geſtam in cuſtodiam Viennæ conjectum, indéque elabentem in arce Koſztanicza cæpit, juſsúque ejuſdem Ferdinandi teſte *Gregorio Petthő*, uſus ad id operâ duorum famulorum ſuorum Georgii Grabuſa, & Joannis Hoyſich interfecit. 1539. Ferunt alii Kaczianerum hunc datis ad Mehemetem literis defectionem ad Turcos molitum eſſe: qui cùm in ſceleris ſocietatem *Nicolaum* quoque pelliceret, hícque ſimulatè id ſe facturum polliceretur, mox remotis menſis nefarium ſuaſorem interfectum. Sublatô è vivis Kaczianerô, Koſztanicza paulò an-

(b) *Hæc familia olim Subich dicta, poſteà ab arce Zrin cognomen accepit.*

tè Prioratui Auranæ obnoxia, *Zrinio* in prœmium rei bene actæ cessit.

Annis verò post hoc duobus, cùm, non levibus de tuendis limitibus controversiis inter Simonem Erdődi Episc. Zagrabiensem, & Joannem Zrinium ortis, Joannes Vindolam Simonis arcem obsidens missa temerè glande plumbea interfectus fuisset, vindicaturus mortem fratris *Nicolaus* ampliores copias comparârat: verùm Ferdinandus utrumque gravi comminatione ab armis discedere jubens, causam eam Francisco Josephico Segniensium Episcopo, Georgio Frangepano Szlunii Comiti, Balthasari Banffio, Stephano Gylaio, & Michaëli Ruvenio Prætori Sclavoniæ cognoscendam dedit. Atque sic *Zrinius* à civili sanguine fundendo manum retrahens, ferrum, quod in Simonem stringere non potuit, gloriosius acuit in hostem; accessit enim cum 400 equitibus Croatis Ferdinandi exercitui, dumque Pestum inter leviora prælia obsidetur, ad victoriam vice quadam relatam plurimum, authore *Rattkaio*, momenti attulit. Evenit id eodem anno,
1542. quo *Zrinium* trium Regnorum Præfecturâ legimus insignitum.

Glo-

Gloriosior annus insequens fuit, quo, 1543.
post devictum à Solymano Strigonium, Tartari Jaurinensem, & Albensem agros populatum missi adeò à *Nicolao*, opportunè tunc ad Jaurinum excubante, uti & à Nicolao Kadovichio, duobus Bartholomæis Horvathis, Emerico Verbőczio, Andrea Bathorio, Paulóque Rattkaio Papensi Præfecto repressi fuerunt, ut tria eorum & ampliùs millia hastis partim, & gladiis cæsa, partim in cænosum lacum impulsa cum captivis, ceteráque præda vitam amiserint. Partam ea re præclarè gesta gloriam obfuscare non nihil visus est annus 1545, quo Ulamanes Bosnensis Bassa in Sclavoniam irrumpens, occurrentem sibi cum Bildensteinero (*Istvanffius* Bildensteinium vocat) Styriæ, & Carinthiæ copiarum Ductore, *Zrinium* in ea Varasdinensis Provinciæ regione, quæ inter montes sita Szomszéd-váram usque protenditur, Zagoriáque nuncupatur, sic fudit, ut magnam equorum, quos nostri in sylvas se condentes reliquerant, minorem hominum cladem pateremur. Bildensteinerus ipse haud procul ab extremo aberat discrimine; hostem enim evasurus postquam in arcis Konschinensis præaltam fossam aquis

ſtagnantem ſe injeciſſet, præfocandus ibidem miſerè fuerat, niſi Stephanus Balevich nandi peritus, Ducísque miſertus, eum prehensâ barbâ (tonſus namque comam erat) eripuiſſet. E Turcis deſideratus eſt Demirhamus cognomentô Spanakovich inſignis alæ Kamengradianæ Præfectus: hic ſub primum mutuum conſpectum hoſtium haſtis cum Stephano Segovich *Zrinii* ſtabuli Præfecto concurrerat, incertùm cujus manu in acie poſteà trucidatus. Noſtrorum, uti memini, non magna cædes facta, majùs id infortunium, quòd occupato eadem procurſione ab Turca monte Claudio ſeu Monoslone accepimus.

1546. Nec cum barbaro duntaxat hoſte *Zrinio* pugnandum fuit; obſidere námque juſſu Regio coactus Petrum Keglevich quondam Banum in arce Chak-Tornenſi, quam contra jus fâsque ſuam Petrus fecerat, eundem devicit, retractúmque à fuga Viennam Ferdinando miſit; quem tamen poſteà Rex vix anni ſpatiô detentum libertati, bonísque reſtituit. A Turca ad annum uſque 1553 otium *Zrinio*
1553. fuit, hoc rurſum idem Ulamanes Sclavoniam infeſtans cladem annô 1545 datam, cumulatè in eadem Varaſdinenſi Provincia

cia à *Zrinio* & Luka Székelio Styriæ copiarum Præfecto, cujus posteri mutato Ungarico cognomine, Giselios se vocârunt, duobus exercitibus conclusus recepit. Nec tamen multùm consternatus ea strage Ulamanes, quin ob amissum eadem pugna Giaferrem filiũ, atq; à Joanne Margitio natione Rascio oblongo, quem equitibus Ungaris & Croatis ex ephipio pendulum gestare in more fuit, ense sub ilia confossum, majoribus furiis agitatus, Chasmam, Veruczíam, Dombronem expugnavit: adjecerat posteà ad Crupam quoque Kosztaniczámque animum Malcus Ulamanis nuper vitâ functi successor, iisque potitus fuisset haud dubiè, nisi novô eas arces præsidiô *Zrinius* munivisset.

At, quàm peritus non tuendorum modò, sed impugnandorum etiam locorum esset, annô à Christo nato 1556 ad Babocsam luculenter ostendit. Obsidebat tum Szigethum Aly Bassa, quem nostri ut inde averterent, jubente Thoma Nadasdio Palatino Babocsam Turcico plenam milite obsederunt, eóque jam processerat oppugnatio, ut Acomates loci Præfectus nostros ab irruptione ingressúque arceri posse desperaret, quare

Aly Bassam per celeres nuncios certiorem periculi facit, útque laboranti arci opem ferat, precatur. Accurrit is relictô Szigethô, primásque suas copias die Divæ Magdalenæ sacro sub nostrum conspectum dedit. Occurrêre illico venienti barbaro *Zrinius* Joannésque Lenkovichius Styrorum Ductor, duravítque certamen, donec ipse Aly inclinato jam die ad Rinniam amnem veniret, cui explicatô Regni vexillô Palatinus obviam processit quidem, sed præliô, quia serum diei erat, abstinuit. Ut verò illuxit, primus iterú *Zrinius*, &Lenkovichius cum hoste manus, sed dubiâ victoriâ contulerunt; effusæ tamen posteà fugæ se dedêre Turcæ, postquam Ungari, Germanique mutuò se se adhortati, novis in eos animis impetum fecissent. Ex Ducibus primas tulêre *Zrinius*, & Joannes Ruberus, plenáque jam victoria videbatur, cùm ecce Turcæ adhortante Acomate arma resumunt: instauratur certamen atrox, nostríque primùm consternati pedem nonnihil referunt, sed suis rursum redditi ordinibus ter in fugam conjecto hoste victoriâ, licèt non incruentâ, potiuntur. Occubuêre è Germanis 270, Ungari 40, inter quos Jacobus Nadasdi-

us

us Palatini frater diversa matre natus, interfecti. Turcæ plurium licèt Satraparum jacturam passi, quasi nihil mali accepissent, ad obsidendum Szigethum Christianorum capita contis præfixa, ostentantes revertuntur; nec remissior nostrorum in capienda Babocsa conatus; potitique ea fuissent haud dubiè, nisi eorum, queis procurandi pulveris pyrii cura commissa erat, negligentia pedem referre coëgisset. Celebravit tamen virtutem *Zrinii* Ferdinandus Rex, variisque donis excoluit.

Ad prosequendum verò bellum idem Ferdinandus filium Ferdinandum Pragâ evocat, novóque exercitui præficit: qui adolescentiâ fervens, indecorúmque arbitratus, si ea expeditione nihil se dignum ageret, Korothnam ad flumen Cinnanum sitam obsidere statuit. Lenkovich Sclavonico peditatui, alii legionibus aliis, *Zrinius* Imperatoria potestate cunctis agminibus jura dicebat. Magnanimi Duces omnes, strenuique milites ingentibus animis munitionem aggressi oppidum primùm, mox arcem cæperunt, sexcentis, quos ibi repererant Turcis, licèt deditionem offerrent, trucidatis: periêre ipso assultu 10 Ungari, Germani 1556.

20.

20. Atque licèt ſingularis omnium fervor fuerit, primas tamen ſibi vendicant duo illi Heroës, qui ante ceteros conſcenſis ſcalis murum ſuperârunt. Horum unus Stephanus Tompa Zrinianæ equeſtris alæ Signifer fuit, alter Petrus Patatich clarus Eques, poſteà annô 1566 cum *Zrinio* in Szigethi propugnatione glorioſè occumbens: è cujus nobiliſſima ſtirpe hodie, dum iſta ſcribimus, annô nimirum 1737. Excellentiſſimum GABRIELEM PATATICH Colocenſi mitrâ fulgentem, Illuſtriſſimum verò ejusdem Germanum ALEXANDRUM Com. PATATICH primùm Viennæ Cancellariæ Ungaricæ Conſiliarium læti intuemur.

Eodem, quo hæc geſta ſunt, anno *Zrinius* ſimul etiam Auranæ Gubernator Banatûs munere ſe abdicat, in cujus locum priuſquam Petrus Erdödius ſufficeretur, Turcæ Koſztaniczam ex improviſo ſubegerunt. Fuêre repentino eo caſu multi Chriſtianorum capti, de quibus redimendis inter *Zrinium* & Aly Boſnenſem Baſſam dum agitur, adeò implacabilis inter utrumque Ducem diſcordia exarſit, ut eam ſingulari certamine dirimendam *Zrinius* judicaret, feciſsétque cogitata haud dubiè, niſi Aly devi-

tatâ

tatâ pugnâ Byzantium; *Zrinius* verò à Ferdinando Magister Tavernicorum pro perduelli Gabriele Perenio in Comitiis 1557. dictus, Posonium abiisset.

Positâ quamvis Illyrici Præfecturâ *Zrinius* amantissimum se tamen Patriæ civem semper probavit. Annò certè 1562 Jahioglionis Bosnæ Præfecti copias, dum nova ad Montem Claudium munitio nostrorum incursiones prohibitura erigeretur, excubantes adscitô in belli societatem Franciscô Tahiô & Wolffgangô Pernesziô Babocsæ jam Regiæ Præfectô ad internecionem cecidit. Sed ne longior sim, cetera præclari Herois facinora prætereo; unam tamen Szigethi defensionem, quin breviter attexam, imperare mihi non possum. Obsederat 1566. Solymanus Szigethum, quod *Zrinius* prisca virtute Ungaris, Illyrisque propria, cum bis mille quingentisque bellatorum adversùm barbarorum eam multitudinem, quæ toti Europæ sub jugum mittendæ suffectura putabatur, propugnabat; verùm post amissas cruentissimis certaminibus tres exteriores munitiones, injectúmque in interiorem arcem ignem, quem restingui vehementia venti prohibebat, cum nihil superesse jam spei vide-

videret Dux fortiſſimus, ſplendidam veſtem pro thorace, galerum gemmis ornatum, aureas indutus armillas, centúmque aureis in prœmium victori futuris, marſupio cum arcis clavibus ingeſtis, paternum ſumpſit gladium, cohortatúsque ad agonem reliquos, qui tercenti fere ſupererant, militum, noménq; JESU invocans in confertos hoſtes irruit, multísque neci datis VII Idûs Septemb. victima Patriæ cecidit annos natus 58. Corpus Herois immortalitate digniſſimi à quodam Turco equitum Ductore, *Zrinii* quondam captivo tumultuariô eſt ſepulchrô compoſitum, caput verò quod præciſum ſpectaculo aliquamdiu fuit, ad Muſtapham Budæ Præfectum, atque ab eo ad Regem Ferdinandum, aut Salmenſem Ducem miſſum, tum denique ſanguine junctis allatum in monumento Conjugis prioris, Frangepani Ferdinandi filiæ honorifica hac addita epigraphe humatum fuit:

Illuſt. Comiti NICOLAO ZRINIO, *Torquati ex ſorore nepoti, à Carolo quinto poſt Viennam obſidione ſolutam, quòd in ea adoleſcens adhuc & tyro multa, & præclara confeciſſet, equo, auróque donato: ad Budam & Peſthum pulchra per facino-*

cinora summa cum laude probato: Croatiæ, Sclavoniæ, & Dalmatiæ Bano, Tavernicorúmque Regalium in Pannonia Magisteriô summa cum prudentia functo: copiis Cæsaris ad dextram Danubii latus à Ferdinando primo, Maximiliano secundo Imperatoribus præfecto: victis, sæpissimè fugatis, cæsísque hostibus: infaustissima postremùm funestissimáque Szigethi expugnatione, cujus arcem contra innumerabilem Solymani Turcarum Principis exercitum facta eorum ingenti, & memorabili strage diutius, quàm viribus par fuerat, defendit, defunctô ibidem Solymanô, totius orbis flagellô, pulcherrimè absumpto, bellica gloriæ fortissimo, invictissimóque Duci, de se publicéque B. M. P. P.

Occubuêre cum eo commilitones omnes, præter quatuor, quos inter Gaspar Alapy posteà Illyrici Banus. E Turcis verò tota obsidione cecidisse feruntur quinque supra vicena aut triginta millia virorum lectissimorum cum pluribus Ducibus & Præfectis. Ipse Solymanus tertio ante expugnatam arcem die in suo tentorio annô ætatis septuagesimô, Principatûs sextô & quadragesimô incertum quo genere morbi; variant enim Scriptorum

ptorum ſententiæ, eſt conſumptus. Tanti nempe fuit vinci *Zrinium*, quem ipſa morte gloriosè obita boni Superi immortalem voluêre.

PETRUS ERDŐDI.

Dalm. Croat. & Sclav. Banus. 1557.

UBi Croatiæ calamitas, Koſztaniczæque, Prioratûs Auranæ arcis ſiniſtra fortuna Ferdinando nunciata ſunt, majoribus ille, quæ ventura metuebantur, occurſurus damnis, Illyrici Præfectum *Petrum Erdődium* juſſit, unicum fere, cui tutò labantes illæ Provinciæ niterentur, Atlantem. Fuit *Petrus* hujus nominis Erdődios inter tertius, Petri pariter, ſed ejus filius, qui annô 1543 cum Barbara Puchamia lectiſſima Conjuge Venetias, vitam reliquam pacatè transacturus, migravit. Apertiùs diſceſſionis hujus cauſam reddit *Rattkaius*, (c) dum aſſerit, eum à filio ſuo, hoc noſtro Bano, vulsâ per contumeliam conſputáque barbâ, in faciem cæſum, ac propterea iratum, ablatis ſecum theſauris Venetias, diris devotô filiô, demigrâſſe. Nec inultus maledictionem Patris ſenſit; duos namque ipſos annos non niſi cruentam ſemper Sacri CORPORIS

(c) *Libro* 4.

CHRI-

Christi Hostiam, dum illa ſublata populo oſtenderetur, potuit intueri: quod etſi fors à vero alienum non ſit, eluit tamen Laureti ſinceris lacrymis culpam, Patrique reconciliatus, unum hoc perperam factum, multis egregiis aliis compenſavit.

Militaris virtutis ſpecimen ut ederet, annô 1547 Ferdinandum I. ad bellum ſecutus Saxonicum, peculiarem equitum alam duxit, fuitq; pars non minima relatæ de Saxone victoriæ: quare dum Ferdinandus, Pragam Ungarorum virtute domitam rediens, equitatûs Ungarici Præfectos ſingulos ſingulis torquibus aureis donaret, Franciſco Nyario Ungarorum ea expeditione Duci, & *Petro Erdödio* ſingulares verbis etiam gratias habuit. Interea Heroëm hunc Patria quoque ſibi popoſcit, atque Illyricum cumprimis, quod cùm annô 1553 altera jam incurſione Ulamanes infeſtâſſet, arcémque Verőczenſem cum Præpoſitura Chaſzmenſi cœpiſſet, iis damnis excitus *Petrus* cum Georgio Comite Szlunio Gradiskam & Velikam (Latinis Magnam Regiam) arces Croatiæ, ſed Turcis parentes, cum latè diffuſis earum ſuburbiis non expectata aggreſſione invaſit, & diripuit.

Maximilianus. Rex. 1564. Amplius aliquid ausus est jam Banus factus. Nam cùm annô 1565 Mustaphas cognomine Szokolovichius captâ Crupâ prosperis successibus elatus ad eam, quæ Crisium inter Capronczámque protenditur, regionem vastandam animum adjecisset, *Petrus* quoque *Erdődius* nuper ab articulari morbo consanatus, eodem hosti nocendi animo Savum cum 1500 equitibus & aliqua peditum parte trajecit. Animadverterant præcursores Mustaphæ nostrorum adventum; sed quia *Erdődius* dolô usus, sequi pedites, equorúmque vestigia conterere præceperat, illi in fraudem inducti, sat magnum quidem peditum numerum habere Christianos, ab equitatu tamen inermes esse Duci suo retulerunt: atque ea causa fuit, ut Mustaphas, contemptis Bani copiis oscitanter rem gerens, summa à nostris celeritate obrueretur. Consternati quippe Turcæ, qui ad 27 mill. authore *Pettħő* fuisse perhibentur, quídque inopinato eo casu agerent, incerti, equos tum primum frænare, & arma expedire inceptabant: acrius tamen certamen cum iis fuit, qui obitis excubiis parati, atque aut ignium fragoribus, aut pereuntium ululatibus exciti, advenerant. Numerum

rum cæsorum reticet *Istvanf. Bizarus* ad ter mille fuisse existimat: capti non nisi 128. Mustaphas ipse cum nonnullis aliis pernici caballo sylvarúmque latibulis salutem suam debuit. Fuêre eo prælio commilitones *Erdődii*: Joannes Gyulai, Matthæus, & Simon Keglevichii, Joannes Alapy, Joannes Geszth, & Marcus Thomassovich. Præda ingens equorum præcipuè, ac ipsius Mustaphæ 12 sarcinariorum fessum militem non parùm recreavit.

Quievit accepta ea clade Mustaphas, diúque se intra limites tenuit contusa ferocia; verùm Solymanus ob negatum in alterum jam annum à Maximiliano vectigal mirùm quàm exardescens, bellum Ungariæ annô 1566 indixit, formidandísque instructus copiis castra Constantinopoli movens, Regem, ne quid detrimenti Respublica acciperet, sollicitum fecit: quare is consiliis consilia, arma armis oppositurus, ut Illyrico quoque prospiceret, Carolum Archi-Ducem, celebris in Croatia Carlostadii an. 1579 authorem, in insula Dravum inter & Savum posita excubare præcepit. Fuêre in castris Caroli *Petrus Erdődius*, & Franciscus Szlunius è Frangepanibus, *Erdő-*

dii in Banatu ſucceſſor. Verùm ubi Szigethi amiſſi fama percrebuit, Illyrica pariter caſtra, quia per obitum Solymani magno metu liberata fuit Pannonia, diſſoluta fuêre, *Erdődiúsque* à nuptiis, quibus filiam ſuam Stephano Dersffio junxerat, ex Ungaria in Sclavoniam re-
1566. dux immaturo fato conceſſit, relictis hæredibus Thomâ, Petrô, & Annâ. Ejus corpus Jazkæ, oppido ditionis ſuæ, in Æde D. Nicolai conditum quieſcit.

FRANCISCUS SZLUNIUS ET GEORGIUS DRASKOVICH.

Dalmat. Croat. & Sclav. Bani. 1566.

ANno eodem, quo Erdődius in vivis eſſe deſiit, Præfecturam ejus locò ſuſcepit *Szlunius*, meritò ab *Iſtvanf.* Enſis & Clypeus Illyrici dictus. Nonnulla de ſummo viro ſparſim memoravimus; vel unum illud commendationis in ſe habet plurimum, quòd, cùm fortè in arce
1571. ſua Gore hilariùs ageret, accurrerétque inopinatus nuncius, hoſtem adeſſe ſignificans, relictis menſis adeò fortiter in populantem irruerit barbarum, ut ternô congreſſus præliô, ter victor maxima hoſtium ſtrage edita nemine ſuorum deſiderato

rato

rato duplicem uno facto lauream, campestrem ſcilicet & civilem ſit promeritus. Ad quem porro annum victoriam hanc referam, non habeo, nisi quòd *Surius* ad annum 1571 ſcribens, Turcas Illyricum infeſtantes à Bano & auxiliaribus paſſim fuſos ac trucidatos eſſe memoret. Nobile certè hoc facinus hoſtes ipſi militari carmine celebrârunt. Et fuit *Szlunii* virtus uti nota charáque noſtris, ità Turcis formidabilis: qui cū à Georgio Thurio in Ungaria, à *Szlunio* in Illyrico magnam perſæpe cladem acciperent, id Selymi ipſius juſſu omni contentione ſatagebant, ut utrumque dolô interciperent, aut, ſi occultis artibus minus proficerent, aperta vi peremptum irent. Sed en, quem hoſtium fraudes teláque non potuêre, eum chirurgi imperitia, annô, ùt *Zagrabienſis inſcriptio* perhibet, 1572, die 2. Decembris mori coëgit. Cùm enim Nickelſpurgam Moravorum, ducendæ in Conjugem Juditthæ, filiæ Kerechenii, causâ proficiſcitur, Varasdini in morbum incidit, enatisque circa aures furunculis, dum medicus incidiſſet vulnus, oleúmque ſcorpionum inſtillâſſet, tumefactum caput, oculíque cum faucibus turgentes omnem reſpirandi vivendíque facul-

tatem, dum annum ageret ætatis sextum & trigesimum, ademerunt. Elatus magno militum luctu, inque Divi Stephani Zagrabiensi Æde conditus, secum unà eam Frangepanam stirpem, quæ ab Szlunio oppido nomen acceperat, tumulo intulit.

Habuerat quidem *Szlunius* Collegam *Georgium Draskovichium* mundo datum annô 1515, ità tamen, ut *Szlunio* fere soli arma tractanda incumberent; quem dum tumulo inferri videt plebs rustica, omnem cum eo militarem disciplinam concidisse rata, ut est novarum rerum semper vulgus appetens, correptis armis jugum servitutémq; à cervicibus ut rejiceret, turbas moliri cæpit. Confluxêre sub signa numerosi, dictóque sibi R. Matthia quodam Gubecio infestis omnia armis percursabant. Admonitus vicinô periculô *Draskovichius*, illico cum expedita manu Casparem Alapium cum Matthæo Keglevichio submittit, qui prementes agrestium vestigia, eos ad Stubiczam deprehensos comico ipso Rege intercepto fugaverunt: Zagrabiam is pertractus, ibique ferreâ, eáque ignitâ coronâ caput redimitus, demum forcipibus dilaniatus, ad extremum verò quadrifariam divisus simulati re-

ti regni non simulatas pænas dedit. Rem gestam annô 1575 scribit *Rattkay*. *Gregorius Petthô*, & cum eo *Timon* (*d*) ad 1573 refert.

Post hæc, cùm *Draskovichium* varia negotia in diversum distraherent, neque is omnibus commodùm à se satis fieri posse cerneret, Collegam à Rege *Casparem Alapy*, virum alioquin impigrum, nisì quòd direptæ nuper à Turcis Canisæ ipse reus diceretur, impetravit. Traditâ is Georgio Comiti Zrinio Canisæ Præfecturâ in Illyricum advolavit continuò, bellúmque rusticum præter opinionem omnium citiùs composuit. Injurius *Caspari* huic videtur *Istvanf.* qui eum ad Canisæ Præfecturam nihil præter natalium splendorem attulisse scribit; virum tamen fortem fuisse, & suscepta adversùm tumultuantem plebem expeditio, & annus 1566 ostendit. Præfecerat Solymanus Bosniæ Mehemetem, qui cum lassus de via (urbe enim Constantinopolitana in Bosniam ibat) ad Siklosinum noctem unam consedisset, accidit fortè, ut Zrinius Szigethi Præfectus seu speculandi hostis, seu fortunæ tentandæ causâ *Casparem Alapyum* cum Wolffgan-

Caspar Alapy Collega Draskovichii. 1573.

(d) *Purpura Pannonia.*

go Paprotovich attributis mille peditibus & aliquo equitum numero Szigethô emitteret. Illi postero die sub primam auroram in hostem fortuitò delati, semisopitósque barbaros aggressi, alios in fugam verterunt, vulnerârunt alios, plurimos interfecerunt: Mehemetes ipse amissâ priùs dextrâ occubuit; filius verò cum quibusdam insignioribus captus Szigethúmque abductus in prædam cessit, aut, ùt *Istvanf.* vult: in fossa aquis repleta multis glandibus sclopetariorum petitus interiit.

Fuit *Alapy* staturâ pusillus, vultu deformis, vitiatóque corpore; sed quæ res homini eodem 1566 anno saluti fuit. Expugnatô quippe Szigethô, cùm in potestatem venisset hostium, pro gregario milite habitus, déque lytro 500 florenorum pactus, qua potuit celeritate maxima, se in Camianam ditionis suæ arcem recepit. Unde posteà pretium libertatis per quemdam captivum Turcam mittens, *gratulari se plurimùm*, nunciavit, *quòd cùm pinguem tenuissent manibus caponem, eum deplumare nescivissent:* 500 *hos florenos pensuros sibi adhuc Turcas favente Numine.*

At

At virtutes meritáque *Draskovichii*, Præsidem Tridentina etiam nomine Ungariæ Regis Legatione clarum altiùs annô 1578 provexêre; ex Zagrabiensi namque ad Jaurinensem translatus Episcopatum, electus Archi-Episcopus Coloczensis ab Rudolpho dictus est, simúlque Christophorum Ungnadium in Pro-Regis Illyrici Præfectura successorem accepit. *Alapius* pariter officiô se se abdicat, sextóque ab resignatione annô 4to Kalend. April. vivis ereptus in Rhemetensi Divæ Virginis Æde suspensô ad sepulchrum rubeo Banali vexillo tumulatur.

Rudolphus Rex. 1576.

1584.

Plura sibi deposcerent *Draskovichii* merita, si nobis per tempus aliásque causas longioribus esse liceret. Mortuus est vir ex vero Illustris annô 1588 pridie Kal. Febr. Posonii, (*e*) cùm ad iter Romanum, Cardinalitium accepturus Galerum, se compararet. Revectum corpus Jaurinum, inque Ecclesia Cathedrali communi Catholicorum luctu terræ mandatum fuit. Eidem *Gregorius Petthö* breve quidem, sed insigne texuit elogium, quod ex Ungarico sic reddimus: *Georgius Draskovich fuit vir timens Deum, probus, spectabilis, Sanctus Dominus, idémque Cardina-*

(e) *Purpura Pann.*

dinalis, Colocensis Archi-Episcopus, Jaurinensis Episcopus, Ungariæ Locumtenens.

CHRISTOPHORUS UNGNADIUS.
Dal. Croat. & Sclav. Banus. 1578.

CHristophorus Ungnadius, nescio, an ex Agriensi Præfectura, cui annô 1575 præerat, jubentéque Rege ducentos ex eadem arce equites, ac totidem pedites Bekessio adversùs Stephanum Bathorium Transylvaniæ Principem auxiliô futuros, an. eodē miserat; moderando Illyrico adhibitus, primo statim Banatûs tempore ad Carolum Archi-Ducem, Rudolphi voluntate Illyricum Regia potestate gubernantem, non exiguô numerô instructam armis nobilitatem attulit; conscribebat quippe militem Carolus eo animo, ut loca, anno superiore à Ferrhate Bassa intercepta, hosti extorqueret. Erat iter exercitui asperum, quo tamen magnâ Ducum industriâ operarúmque labore complanato, Businum primùm ventum est, locúsque, quòd ab exigua Turcarum manu teneretur, receptus. Eadem celeritate Czasnium, Zrinium, aliæque cis Unnam arces dilabentibus metu hostibus in nostrorum potestatem rediêre. Ferrhates semel duntaxat in nostrorum se

se conspectum dedit, initóque certamine non magna utrinque clade edita à pugna est cessatum. E nostris quidem Nicolaus Bradachi nobili genere ortus adolescens, dum interfecti Turcæ cadaver armis & pelle tygridis spoliat, grave in capite, ùt erat sinè galea, vulnus accepit, eóque in vestigio occubuit. Expeditionis verò universæ is fuit exitus, ut redeuntibus nostris eadem rursum loca ab hoste caperentur. Redditus domui *Ungnadius* jam antè inchoatam cum Grubariana vidua litem de restituendo sibi Zamoborino prosecutus est, cúmque nìl verbis proficeret, armis rem agere decrevit, ádmotísque machinis, cum arce animum quoque fæminæ expugnavit. Atque hæc de *Ungnadio*, qui an morte, num libera voluntate Thomæ Erdȍdio Genero suo Banatum annô 1584 resignaverit, non constat.

THOMAS ERDŐDI
Dalm. Croat. & Sclav. Banus. 1584.

FUit *Thomas* Petri Bani filius, cujus facta etsi paginas complures poscerent, nos tamen excellentiora duntaxat adducemus. Inito Magistratu nihil antiquius habuit *Thomas*, ac ut loca ab hoste

hoste capta reciperet, aut certè ne plura subjugarentur, prohiberet: eodem
1584. proin anno arcem Kristaloczensem deditione cæpit, cæso præsidio omni, ipsáque arce, quia defectu militis servari non poterat, solo æquata. Cùm verò Ferrhatis Bosnæ Præfecti jussu Turcarum Duces ejusdem anni autumnô in Carnos Labacum usque irrupissent, domum jam cum spoliis reduces non magna suorum manu ad Szlunium sic aggressus est, ut versis primo impetu in fugam prædatoribus, mille sexcentos captivos duræ servituti exemerit, prædámque omnem recuperârit. Interfectorum eâ pugnâ hostium ingens numerus fuit, cùm nostri duos trésve plumbeis ictos glandibus perdidissent; signa militaria decem adepta, ac Carolo Cæsaris fratri Græcium missa, luculentum relatæ victoriæ fuêre testimonium.

1585. Nec quievit hic *Erdödius*, sed anno insequente Kosztaniczam irrumpens, flammis injectis cremavit, & licèt redeuntem cum spoliis instans à tergo lateribúsque circumcursaret hostis, suum tamen militem summa dexteritate trans Unnam ponte trajecit incolumem. Vixdum circumactô annô prædas agentem

Aly

Aly Bassam, adscitis iis, quibus tuendorum limitum cura demandata, ad Iva- 1586.
nicium 10 Decembris die cæcidit, ipso Aly capite proprio temeritatem luente. Quieverat his cladibus acceptis Turcus, ferrúmque, quod infaustè strinxerat, intra vaginam ad annum 1591 continuit. Tum verò rursus Hasanes à Sinano Purpuratorum quarto in Christianos sollicitatus tumultuari cæpit, miscebátque jam intra Crisium Ivaniciúmque cladibus omnia, ultrà circumlaturus perniciem, nisi accrescentes autumni pluviis Glogovtius & Lonius amnes negato ulteriore aditu, ardentem in prædas Bassæ animum restinxissent. Quare dum reditum parat, usque eò à nostris insequentibus cæsus est, ut relictis cum captivis 400, ipsis etiam tormentis in apertam se fugam conjecerit. Cumulavit lætitiam dedititione intra triduum acceptum Monoszlo, seu Mons-Claudius à Claudio Cæsare, si veteribus fides, conditore dictus, sed ob eandem, ob quam Kristaloczensis arx, causam in auras ejectum.

Tot cladibus irritatus Hasanes in omnèm Bano nocendi occasionem excubabat, votique sui damnatum se annô 1592 sensit. Petriniam enim obsessurus

Erdö-

1592. *Erdödius*, ad Briſtum trans Colapim Petriniæ oppoſitum vicum cum paucis ſuorum auxiliares Germanorum copias fruſtra expectans, conſederat: hic Haſanes à Belojevichio gente Raſcio, homine Bano dilecto & aliàs fideli, de re tota edoctus, trajecto ſumma celeritate Colapi, *Erdödium* aggreditur, & quamquam hic pro paucitate militis ſtrenuè ſe defenderet, omni tamen caſtrorum ſupellectile cum tormentis exutum, in plenam fugam conjicit. Uſurus Haſanes victoriâ, iisdem tormentis Siſcium, celebrem olim Romanorum coloniam, infeſtavit, ſed à Nicolao Mikacio Zagrabienſi Canonico arcisque propugnatore repreſſus, re infecta diſcedere coactus
1593. fuit. Rediit tamen inſequente mox anno, ſimúlque Banum de ejus arcis, ac totius Provinciæ ſalute ſollicitum in ſe excivit, qui collecto ex Illyris partim & Germanis octo millium exercitu, cum Ruperto Eckempergio Styrorum Ductore accurrens celebrem commiſsô præliô de Haſane victoriam reportavit. Ferunt eum cæſorum ínque Colapi merſorum fuiſſe numerum, ut nexa invicem cadavera ſecurum pontis inſtar per amnẽ tranſitum præberent. Periit ejusdem Cola-

Colapis undis ipſe Haſanes proditórque Belojevich cum maxima primi ſecundique nominis Turcarum multitudine: tormenta bellica caſtráque opulentiſſima fuêre fructus victoriæ. Evenit id 22. Junii, quo 10000 Martyrum memoriam Romana recolit Eccleſia.

Placuit Bano uti fervore militis Petriniæque exercitum, in quo ceteros inter Georgius Zrinius Caniſæ Præfectus, & Franciſcus Battyánius prima militiæ rudimenta poſiturus, aderant, admovere; verùm Mehemet in monte Hraſztoviczenſi caſtra caſtris opponens, noſtros non modò obſidionem ſolvere, ſed Siſcium etiam auxilio omni deſtitutum ſe ſe dedere coëgit; Caſpar quoque Granya Zagrabienſis Canonicus loci tum Præfectus à Mehemete captus, Conſtantinopolimque deportatus culeo inſuitur, marique mergitur, aut, ùt *Gregorius Petthö* ſcriptor Synchronus, forti animo excepto in cervice acinace ipſa in arce Siſcienſi trucidatur. Partâ tam inſperatâ Barbarus victoriâ, nullum ſæviendi modum faciebat, donec Maximilianus Rudolphi Regis frater, ejusdémque Archiſtrategus precibus populorum motus *Erdödio* & Lencovichio limitum Croa- 1594.
tiæ

tiæ Præfecto in caſtra, quibus ipſe præerat, convenire juſſis, Petriniam primùm quamquam magno labore, tum, dilapſis ſubjecto arci igne præſidiariis, Siſcium occupâſſet. Atque hoc modo pax rurſum reddita, Siſciúmque Capitulo Zagrabienſi, cujus juris erat, reſtitutum. Verùm dum Rex in Pannonia bellum longiùs trahit, Banúsque in ſanciendo cum Sigiſmundo Bathori Principe Tranſylvanorum fœdere diſtinetur, Turcæ, *Erdôdii* abſentiâ illecti, Petriniam reſtaurant, vallo ac milite firmant, præfectóque eidem Ruſtane, vicinis arcibus Gora & Hraſztoviczia denuo potiuntur; rediit tamen poſtrema in noſtrorum manus, ipſo Ruſtane, dum in adventantes Chriſtianos erumpit, glande plumbea per ilia trajecto.

Auditis Rudolphus tot *Erdôdii* relatis de hoſte victoriis, ac ea præcipuè, quam merſo in Colapim Haſane, retulerat, maximis Heroëm laudibus celebrans, aditis confeſtim Templis debitas ſummo Numini grates perſolvit. Sed & Clemens VIII datis ad *Erdôdium* literis, ejus in re Chriſtiana tuenda collaudavit ſtudium: Philippus verò II tanti Ducis fortitudine allectus, non modò arcanis

eum

eum bellorum admovit consiliis, sed misso etiam aureo Theutonici, aut, ut *Rattkaius*, Redemptorum Ordinis vellere, sibi arctiùs devinxit. Attulerant vellus id egregiæ magnitudinis aurô saphyrisque distinctum cum epigraphe: *Domine probâsti me*, duo ejusdem Theutonici Ordinis viri illustres, quod ille postquam de manibus Antistitis Zagrabiensis Petri Domitrovich in Basilica S. Stephani Regis reverenter suscepisset, novos illi animos, novas additas vires putâsses: ità ille, quoad vixit, satagebat, ut tot summorum Principum de se expectationi faceret satis: & fecisset sanè, nisi Turcorum ab *Thoma* metus omnem armis rei bene gerendæ occasionem ademisset. Quare pacatô Illyricô, cùm se non esse necessarium videret, bonâ Regis veniâ Banatum annô 1595 abdicavit: atque licèt eandem Præfecturam, resignante Joanne Draskovichio, annô 1608 receperit, (*f*) quia tamen quieta omnia ab hoste erant, nullum tunc bellum gestum est, uno excepto dissidio, quod annô 1609 in publicis Comitiis Catholicos inter & à Fide Orthodoxa alienos intervenerat. Non contenta enim hæresis amplis Ungariæ,

 Tran-

(f) *Matth. II. Decr. 1. & 2. in Concl.*

Transſylvaniæque limitibus, ut in Croatiam quoque, Regnum Chriſto fidele, ſe infundere poſſet, inſanis clamoribus depoſcebat: quæ ubi ad aures *Erdődii* allata ſunt, juſtâ is irâ ſuccenſus, nudato palàm enſe: *hoc*, inquit, *ferro*, *ſi aliter fieri non poterit, peſtem iſtam à nobis eliminabimus, trésque nobis adſunt fluvii: Dravus, Savus, & Colapis, è quibus unum novis hoſpitibus ſorbendum dabimus.* (g) Attoniti ad iſta hæretici ſubmiſſiùs muſſare primùm, tum planè conticeſcere, nihil denique ultrà moliri.

1615. Atque hæc in ſecundo Banatu: quem rurſum ob negata ſibi per octennium ſtipendia reſignans, Magiſtri Tavernicorum munus, cui & immortuus eſt, ſuſcepit. Virum certè magnum fuiſſe & ea, quæ ſtrictim recenſuimus, declarant, & tractatus omnes publici, ac Bocskaianus præſertim, cui annô 1606 interfuit, edocent. Lubet hìc Georgii quoque Spiſſich ejus complures annos à cubiculis ſervi teſtimonium adducere, qui narrare ſolitus erat, tria à ſe in *Thoma* notata eſſe: eum ſcilicet foliorum luſu delectatum nunquam, nunquam pecuniam tractâſſe manibus, neque in convivio

(g) *Rattkay Lib.* 4.

vio potu exceſſiſſe. Mortuus eſt annum agens ætatis 66. ſeculi ſexcenteſimi ſupra milleſimum quartô & vigeſimô in arce Krapina, ac poſteà in principe Zagrabienſium ſacra Æde hac, quæ ſequitur, pompa tumulatus: (*h*) Poſt ſemeſtre ſpatium Zamoborinum primùm, tum Zagrabiam delatum funus eſt, præcedentibus multô aurô equis inſignibus, trecentorúmque haſtatorum equitum pullam indutorum veſtem manu comitante: ſequebantur ponè filii Joannes & Sigiſmundus; (Chriſtophorus enim Patrem annô 1621 ad tumulum præiverat) magnáque nepotum ac Nobilium turba. Ut primùm verò Zagrabiam ventum eſt, antelata vexilla bináque ſtemmatis inſignia cum monili ab Philippo II miſſo, equiſque atratis compluribus Majorum imagines ex latere ferentibus ſplendorem augebant. Sandapilam anteibat pulcher nepotum numerus cum longo Pontificum ordine, funus ipſum Joannes & Sigiſmundus cum Regni Optimatibus ſequebantur. Ut verò cadaver Templo illatum eſt, ſuæque menſæ (Caſtrum doloris dicimus) impoſitum, inferias Antiſtes quispiam peregit, ipſo loci Epiſco-

1624.

(h) *Rattk. Lib.* 4.

po Petro Demitrovich Heroëm invictissimum meritis laudibus pro concione celebrante. Sed populi ploratus, collucentes undique faces, Templi paulò antè exusti atra facies, & quoquò aspiceres, funereis parietes emblematis induti apertum vel fortissimis dolorem, optimíque Principis desiderium insinuabant. Cadavere sub hæc loculo suo imposito, tercenti illi, quos diximus, equites, humanæ vitæ fragilem declaraturi pompam, hastas in muro perfringentes, ultimam solennitati coronidem addidêre.

GEORGIUS ZTANKOVACHKY, ET JOANNES DRASKOVICH.

Dalmat. Croat. Sclav. Bani. 1595.

CEdente primùm Provinciâ Erdődio, clavo Reipublicæ admotus à Rudolpho est *Georgius Ztankovachky* Episcopus Zagr. & *Joannes Draskovich*; ast *Georgiô* paucis ab inita Præfectura diebus vitâ functô, solus *Joannes* rerum potiebatur, útque salutis publicæ studiosum se ostenderet, Kosztaniczam, sed nullo fructu,
1596. quin accepto etiam damno aliquo, tentandam suscepit. Felicior fuit altera anni ejusdem expeditio adversùs Eunu-
chum

chum Szerdar Bassam suscepta, qui cum 60 mill. acri adeò obsidione Petriniam 11 Septemb. cinxerat, ut nisi ea Danielem Francol & Georgium Prestocium, qui extrema perferre parati, cum 400 duntaxat se se acerrimè tutabantur, propugnatores nacta fuisset, actum omnino de arce futurum erat. Hi proin dum res suas pro virili agunt, Banus intereà octo duntaxat millia numerans cum Thoma & Petro Erdődiis, Georgio Lenkovichio, Sigismundo Herbersteinio castra ad Brestum metatur, transitum, si possit, per Colapim tentaturus; sed quia Eunuchi obstabat exercitus, vadáque omnia firmis custodiis tenebantur, Siscium petere, pontéque, quem jubente Bano ejusdem Siscii Præfectus struxerat, militem traducere placuit. Sollicitus tamen Banus, ne viso nostrorum abitu, Petrinensium caderent animi, eos submisso Martino Segniano peditum Centurione turcica induto veste, intérque volitantes plumbeas pilas fune ab obsessis attracto, sui consilii certiores fecit.

Motis ergo castris, ùt progredi à nostris cœptum, Turcæ id fugam interpretati, celerrimè transito amne postremos invadunt; sed 3000 suorum ferrô aquisve

ve absumptis, adeò consternati sunt, ut Szerdar inclinato ad vesperam die, impedimentis, quæ ipse postridie secuturus erat, Kosztaniczam præmissis, castra solvi præceperit. Nostri ejus consiliorum ignari, dum transito ad Sisciūm Colapi eo ordine, ut pedites lævum, dextrum equites cornu tenerent, Petriniam petunt, accidit fortè, ut pauci uskoki seu pedites juncti equitibus Banum antecedentibus in procinctu jam stantem Szerdar Bassam invenirent: ignari illi primùm quid agerent, invocato denique bono Numine animatis subjecto igne
1596. 20. Sept. sclopis arma expediunt, tantóque, memorem hesternæ cladis Barbarum, metu complent, ut is totum exercitum adesse arbitratus, fugam illico circumspectaret. Venêre inter cetera in Christianorum manus duo immanis ponderis tormenta, in quibus Ferrhatis nomen arabicis literis expressum legebatur. Adveniente mox universo exercitu in eam primùm Duces curam incubuêre, ut lacera mænia reficerentur, nováque ad flumen erecta statione equitum, arx firmior redderetur: quod ubi insequente anno per-
1597. fectum est, Viroviticzam Banus cum Herbersteinio sed fructu nullo cinxit:
qua-

quare mutatô consiliô Slaniam oppidum aggressi, diripiunt, quidquid Turcici nominis erat, cædunt, plurimos in turrim Templi confugientes aut flammis subditis exurunt, aut in præceps se se dare cogunt. Parem sortem insequentibus 1598. annis Czernikium & Possega, 50 jam an- & nos Turcis subdita, experta sunt, Kur- 1599. tio ipso Bassa 20 Septemb. ad Czernikum interfecto.

In Ungariam sub hæc translatus, dúm- 1600. que Canisa ab Ibraimo Sept. 8. die obsideretur, in auxilium cum ceteris accurrens *Draskovichius*, Tartaros eam partem castrorum, quæ sibi obtigerat, infestantes strenuè rejecit, ac, solutis demum annonæ defectu castris, salva tormenta omnia, licèt per palustria loca iter esset, revexit. Prætereo hic cetera minora prælia in agro Varasdinensi aut Possegano annô 1603 gesta: unam tamen expeditionem adversùs Gabrielem Némethium, Stephani Bocskaii infestis signis Ungariam Rudolphúmque vexantis Legatum, susceptam adjungere placet. Exortis his itaque motibus in Ungaria, metuens *Draskovichius*, ne eodem 1605. turbine involveretur Croatia, in citeriore Dravi ripa, qui eo tempore ob fer-

ventiorem æstatem frequenti vado transiri poterat, ab Vinicensi agro ad Ludbregum usque excubabat. Nec contentus arcere à se cladem, nisi inferret etiam, initô cum Sigismundo Trattmonstorffio consiliô, media parte militis ad vada custodienda excubare jussa, manus cum Némethio conferre placuit. Posuerat is castra ad Körmöndinum; sed non expectatis nostris, qui ad 10 mill. confluxerant, nam & Battyanius cum Zrinio Juniore suos equites peditésque adduxerant, quantocius aufugit, útque tantò certiùs Banum falleret, Legatos ad Battyanium pacis tractandæ specie misit, quæ res dum consultò protrahitur, ipse celeritate maxima se cum suis subducens, abducto etiam Stephano Comornico dato à Bano obside, Szigethum usque pervenit. Fructus tamen is expeditionis fuit, ut multa loca in fidem Rudolphi se
1606. dederent, Bocskaiúsque variis attritus cladibus, ac Turcicæ cumprimis societatis pertæsus, pacem cum Rege faceret. Sancito mutuo Regem inter & subditum fœdere, *Draskovichius* Banatu se abdicans, partium ultra Danubianarum ac Limitum Ungariæ Præfecturam, Tavernicorum item, & Cubiculariorum Magisteri-

ſterium jubente Rege, Thomam Erdődium ſecundò Banum in Illyrico ſucceſſorem nactus, ſuſcepit. Obiit vir de DEO, Rege, Patria optimè meritus Poſonii annô 1613, inque Æde D. Martini ſolenni funere conditus, cum hac epigraphe:

SPES MEA CHRISTUS.

Palladis & Martis columen: Pietatis avitæ,
Vindex: hìc virtus Hunnia ſpésque jacet.
O Draskovichios dent poſtera ſecula multos:
Gloria priſca Hunni Martis & artis erit.

BENEDICTUS TUROCZY, *Dalm. Croat. & Sclav. Banus.* 1615.

JOannem Draskovichium è Banatu in Pannoniam translatum annô 1606 docet *Rattkaius*; Thomas tamen Erdődius ei primum annô 1608 ſucceſſit: tum quòd non priùs in Corpore Juris Ung. ſecundò Banus legatur: tum etiam, quòd *in ejuſdem anni articulis Viennenſibus, Poſonii confirmatis* Regnicolæ à Matthia petant, ut iis ipſis Comitiis Banatum cum vetuſta ſua poteſtate à Dravo Adriaticum mare uſque bene meritæ alicui perſonæ conferre velit: vacare proin dignitatem hanc tunc oportuit. Miſſo itaque ſecundum jam in Illyricum Thoma, rursùm-

Matthias II. *Rex.* 1608.

que annô 1615 Provinciâ decedente, suscepit eam dignitatem *Benedictus Turoczius* multis præliis exercitatus miles, ac eo præsertim, quod annô 1587 ipso D. Laurentii die cum Sásvár Szigethano Bassa gestum legimus. In hac omnibus memoranda seculis cum barbaris comissa pugna ea captivorum Turcarum copia in Christianorum potestatem venit, ut insigne etiam mancipium quatuor aut quinque florenis veniret. Præclara hic *Turoczii* eluxit virtus, eo uno infelicis, quòd acerrimè cum hoste dimicans, dum acinacem partes in omnes versat, à proprio milite pro hoste habitus, sauciatúsque, pugnum resectum amiserit. Banus posteà factus, honorem illum cum vita annô 1616 posuit, vidua Susanna Rattkay, & duabus, Nicolao nempe ac Barbara, prolibus relictis. Jacet Viniciæ in Divi Marci Æde hoc addito epitaphio:

Regnorum tutela trium, Banúsque potentis
Illyrici, & Patriæ hic cura, salúsque jacet:
Cujus si posset complecti saxea moles
Virtutes, pulcher quàm foret iste lapis.



NICO-

NICOLAUS DE FRANGEPAN *Dal. Croat. & Sclav. Banus.* 1616.

PRæclaræ *Nicolai* dotes dignissimum hoc munere fecerant, nisi ferventioris naturæ impetus optimam de illo civium expectationem corrupisset. Vix inito Magistratu Stephanum Patatichium Regni Proto-Notarium, ac posteà in Judiciis Regiæ Præsentiæ Locumtenentem per contumeliam scribam suum compellans, sigillum ab eo Banale judiciarium, quod juxta vetera Regni jura Proto-Notarii fidei ab ipso Bano, quamprimùm is inauguratus erat, tradebatur, repetiit, renuentéque reddere Patatichio, quin potiorem Nobilitatem in sui partes attrahente, eousque alienati sunt omnium fere ab *Frangepane* animi, ut congregati in campo Semoczienſi ad propulsandum Bethlenium annô 1620 Nobiles, illi subesse detrectarent: ísque demum ejus expeditionis militaris finis fuit, ut licèt Stephanus Senneius, posteà Regni Cancellarius, à Rege Viennâ missus seditionem comprimere studuerit, minùs tamen nihilô profecerit, castráque ipsa dilaberentur. Ferdin. II. *Rex.* 1619.

Obse-

1621. Obſedit tamen cum ſuis jubente Rege Grebeniam Franciſci Batthanii ad Bethlenium defficientis arcem, eámque, quòd nullo fere præſidio teneretur, facilè cepit; ſed rurſum per Georgium Turkovichium inſequentis anni octavô Febr. Batthanio vindicatam: (*i*) quæ dum *Frangepano* pareret, concluſit is in ea Joannem Kruſelium conſpirationis cum Bethlenio initæ accuſatum, nullóque, uti oportuiſſet, judicio convictum, dilaniari primùm lictoris manu, ac demum in lecto quieti indulgentem glande plumbea (Raſciani cujusdam ad id operâ uſus) feriri præcepit. Recruduêre eo facto Croatorum Nobilium in *Frangepanum* odia, factúmque eſt, ut non modò in Zagrabienſibus Montis Græcenſis Comitiis nihil ad utilitatem publicam ſtatueretur, ſed convitiis etiam palàm in compitis ipſe ſæpe proſciſſus, in Sopronienſibus anni 1622 Comitiis Magiſtratu, poſcentibus id Illyriis, privaretur.

Privatam is poſteà exegit vitam, nulli admotus muneri, niſi quòd annô 1625, dum pax Turcica Comaromii ſanciretur, utilem illum operam ad eam rem contuliſſe legam. Annô tandem 1647 ad centuriata à Rege Poſonium vocatus Comitia,

(i) *Gregor. Petthô.*

tia, sinistra ibidem tentari valetudine cùm cæpisset, Viennam ejusdem reparandæ causâ delatus est; sed vi morbi ingravescente extinctus, inque Domo Professa PP. Soc. JESU conditus, vivere desiit. Translatum subinde funus in Croatiam, Tersactensi in Æde Divæ Virginis ab ejus Majoribus fundata tumulum invenit. Ante tamen quàm vitam hanc poneret, Altichianam in Moravia sitam arcem Collegio Zagrabiensi S. J. eo fine legavit, (*k*) ut 12 quot annis Illyri adolescentes, quorum pars dimidia è Frangepanis esset, in eminario Frangepanico dicendo, pietate & literis sub PP. S. J. cura erudirentur. Addidit ad hæc 17 florenorum mill. quæ ille ad exequiarum partim solennia, partim in pias Eleemosynas dividenda in Capitulo Zagrabiensi reposuerat. Omnis reliqua dives supellex cum Bonis Fratri Lupo hæreditate obvenit.

GEORGIUS à ZRINIO.

Dalm. Croat. & Sclav. Banus. 1622.

SUb finem Comitiorum Sopronienstum successor Frangepano datus est *Georgius* ille *Zrinius*, in quo, unâ literarum peritiâ exceptâ, nihil, quod aut militari

(k) *Ratk. L.* 5.

He-

Heroë, aut ſummo Principe dignum videatur, deſideres. Præluſerat jam tunc futuræ felicitati, cùm in campo, ùt vocant, leporum Poſonio adſito, præſente Ferdinando Rege venatu ſeveriores curas levante vulpem fortè inventam tamdiu nobilî vectus equô in orbem verſavit, donec haſtæ infixam Regi adferret. Nec minor illi armorum dexteritas in
1623. ſeriis, quam magno ſuo malo Caniſienſes Turcæ perſæpe experti, uſqueeo formidabant, ut non raro pro ipſis propugnaculis homines pecoráque præ ſe agentem inſequi non auderent. Et verò quàm heroô eſſet animô, oſtendit palàm, cùm magni illius Matthiæ Regis Viennæ ova vendentis exemplô delectatus, ipſe quoque ruſticum mentitus habitum, ligna in Caniſenſium arce vendere exploraréque omnia attentavit. Nec tamen dolos ad conterendos hoſtes *Zrinio* adhibere neceſſum fuit, quos aperto marte vincere pulchrè noverat. Fortè fuit, ut advocatis in periculi virtutisque ſocietatem Joanne Draskovichio, poſteà Bano & Palatino, Sigiſmundo Rattkaio, Nicolao & Sigiſmundo Keglevichiis, in Caniſienſem agrum profectus multa prædâ inſpectante hoſte abactâ dives

ves rediret, jámque major noſtrorum pars in adverſa Muræ ripa conſtiterat; cùm ecce inopino tumultu advolantes Turcæ in reſiduos involant, omnes haud dubiè undis ferróve perituros; niſi Vojcovicii nota virtus præſenti ſocios diſcrimini eripuiſſet. Is enim viſo Turca, abjectis properè veſtibus ſolo lineo tectus amiculo enſem geminúmque manualem ſclopum arripit, pauculísque comitantibus conſcensâ ſcaphâ in adverſam rapacis fluminis ripam luctatur, jámque excenſionem parabat, cùm haſtatus Turca in generoſum pugilem involat, vitâ momentò proturbaturus: ſed Vojcovicius opportunè ſolutô ſclopetô exanimem ſternit illico, interfecti equum occupat, acríque cum barbaris contracto certamine, DEO propitiô, hoſtium 17 præciſa capita Bano referens, victoriâ potitur.

Koſztaniczenſibus quoque metum incuſſurus *Erdődius*, ſeptem eorum centurias obviam factas fugavit. Eluxit hoc rurſum prælio Vojcovicii, & Lupi Kriſanicii virtus, quorum prior elusâ Turcæ haſtâ æmulum ſclopô ſolutô exanimans, dum cervicem quoque acinace ferire parat, infelici caſu ab equo in terram

ram procidente ipse quoque effunditur: accurrunt celeriter Turcæ, hastisque infestis petunt; sed Lupus Krisanicius socii periculô commotus cum nonnullis in hostes irruit, unóque interfecto, ceteros in fugam actos, cum Vojcovicio longiùs insequitur. Hic Turcæ nullum jam salutis locum videntes collectis animis, quos desperatio augere solet, frontem obvertunt, illaturi necem hostibus, aut certè à se propulsaturi. Erat hos inter senecio multa aspersus canitie, qui cum Krisanicio ferrô congressus, eum perfracta capuli cruce levi vulnere in dextra sauciârat: sed viso cruore Lupus in novas succensus iras vibrato ense eo turcam sauciat ictu, ut dissecto miseri bifariam capite, extemplo fecerit exanimem. Duobus jam manu sua trucidatis tertium quoque pari felicitate, nec minore virtute funus adjecit; rursum enim se leviter in pectore ab alio Senecionis necem vindicaturo perstrictum cernens, prodigioso plane virium robore à parte dextra colli sic feriit, ut framea infra cor ad latus sinistrum viam sibi aperiente immani vulnere caput cum sinistra manu & parte pectoris à cetero corpore separârit. Banus in secundo con-

consistens agmine, dum audito sclopo-rum ictu, auxilio suis accurreret, hosti-um cæsos alios, alios fugatos pallantés-que conspexit: reditum proin Petriniam est, cui præerat Christophorus Mernavi-cius Vice-Banus & Lupi Mernavicii strenuè pariter adversùm hostes decertan-tis Pater: ubi prædâ divisâ, captivísque sub hasta venundatis animatus miles, haud multò pòst Ductore Bano non mi-nori successu sub Jassenocio hostem fudit.

Sed non potuit Patriæ suæ angustiis concludi virtus *Zrinii*: quare, tumultuan-tibus Imperii acatholicis Principibus, dum eò Wallensteinius summus legio-num Ductor ab Ferdinand. II. mitteretur, *Zrinium* quoque cum mille equitibus idem Ferdinandus in id bellum proficisci jussit. Rebus præter opinionem celeri-ter non minùs, ac feliciter confectis, re-vocatur rursum cum Wallensteinio in Ungariam *Zrinius*, tumultuantem Ga-brielem Bethlenium sedaturus. Uter-que Ducum Palankam delati, castra fi-xêre, *Zriniúsque* eodem cum Nicolao Forgachio usus tentorio, cùm manè mi-litari indutus veste se ad prælium com-pararet, acinacem stringens, *hoc*, inquit ad Forgachium, *bone frater hodiè ferro*

Turcarum truncabo capita. Vera locutum fuisse eventus docuit; fervente enim pugna splendidiorē insecutus Turcam capite minuit, allatóque illo in conspectum Wallensteinii, *ità*, ait, *persequendus hostis Cæsaris, ità paranda victoria:* cui cùm Wallensteinius plura truncata capita visa à se reddidisset, *plura*, reposuit *Zrinius*, *truncata vidisti*; *sed non truncâsti plura.* Irritatus generosô responsô Germanus, homo nota ambitione, & crudelitate (*Rattkaii* utor verbis) infamis, de tollendo è medio *Zrini* cogitare cœpit; sed cùm aperta vi nocere se viro fortissimo posse desperaret, doli placuerunt: raphanum ergo, quem in deliciis *Zrinio* esse noverat, venenô tingit, invictúmque Heroem tabe eadem inficit, conficítque. Ægrè se habere ùt sensit *Zrinius*, è castris Posonium devehitur, nihilque proficiente medicorum ope, in ipso ætatis flore annos natus 28, præter Banatum Agazonum quoque Regalium Magisteriô
1626. insignis (*l*) extinguitur Decembri mense. Indoluit ejus fato Ferdinandus usque adeò, ut ei, prandens namque nuncium necis acceperat, cultros manibus excidisse narrent. Posoniô Chaktornyam sequente delatus anno, in Templo Di- væ

(l) *Ferd. II. Decr. 2. in Concl.*

væ Helenæ PP. Paulinorum magnâ pompâ, relictis non ſanguinis modô, ſed virtutis etiam ſuæ Nicolao & Petro hæredibus, tumulatur.

SIGISMUNDUS ERDÖDI.
Dal. Croat. & Scl. Banus. 1627.

DIſceſſurus in bellum Germanicum Zrinius, ſuum in Illyrico Vicarium *Sigiſmundum*, Avo Patréque Bano natum, Regníque tunc Capitaneum, eſſe voluerat. Retinuit à morte Zrinii eoſdem faſces jubente Rege, (*m*) atque à Comiſſariis, uti eos vlgò vocamus, Regiis Franciſco Erghelio Zagrabienſi Præſule, & Petro Rattkaio univerſi Illyrici Pro-Rex declaratus, poſtquam in Æde Divi Marci Montis Græcenſis conceptis verbis jurâſſet, in id curas omnes tranſtulit, ut Rempubl. quà quà poſſet, redderet illuſtriorem. Comiſit non ſemel cum hoſte manus; ſed ità, ut togâ illum quàm ſagô fuiſſe clarioré *Rattkaius* ſcribat: non virtus tamen illi bellica, ſed fortuna defuit, quæ ſi par data fuiſſet, non ille major quidé, illuſtrior tamen erat evaſurus. Annô 1625 nondum Banus in hoſti-

(m) *Ferd. II. Decr. 3. & 4. in Concl. & Ferd. III. Decr. 1. in Concl.*

ſticum irrumpens, cladem accepit; & licèt equô deſiliens, nec tam Ducis ipſe, quàm militis munus ſuſtinens, ſtrenuè pedites, quos Illyri Uskokos, Ungari à planta pedis, quâ militant, Talpaſios vocant, verbô & exemplô animaret, rursúmque eques dimicaret acerrimè, ad extremum tamen, amiſſis ſubter ſe duobus equis, in ignobili caballo fugere coactus, hoſti ceſſit. Actum id prælium 29 Aprilis ad arcem Zriniam, futurum felicius, ſi *Erdôdius* Georgium Zrinium Banum intra triduum adfuturum expectâſſet.

Devenerat quodam prælio in Turcarum manus Petrus Levojevich peditum Ductor, quem illi, quia ob inſignem militaris diſciplinæ virtutem Bano non charum minùs, quàm neceſſarium noverant, magnô æris unionúmque lytrô redimendum datis vadibus, ad *Erdôdium* jam Banum remiſerunt: aſt Levojevicius homo minimè dives, miſſis ſex duntaxat Turcis captivis, cùm avaram barbarorum ſpem fruſtraviſſet, adeò Turan Agam Badankovich Crupenſis arcis, ùt Turcæ vocant, Disdarium (*Rattkay* Caſtellanum latinè reddit) antiquo Croatiæ genere ortum offendit, ut is contumeliâ ple-

plenis literis Banum conveniens, postquam verba sibi data esse questus fuisset, in singulare eum hastarum certamen provocârit. Datæ aliæ quoque ejusdem argumenti à diversis Turcorum Tribunis ad Lupum Mernavicium Capitaneum in Zredichko, Lupum item Krisanicium Berkussæ Præfectum, ac Lupum denique Jelachichium Lethovanichii pariter Præfectum viros omnes fortissimos, literæ: hos inter Mernavicius indignitate rei magis commotus præ ceteris, arreptô tumultuariè stylô in hunc fere sensum respondit: Adfuturum se stato tempore & loco cum ceteris; ut autem Pro-Rex universi Illyrici cum Disdario concurrat, id verò decens non esse: ceterùm venturum & Pro-Regis locò Georgium Drivolevich Banalis Aulæ familiarem, quâmque poscerent, pugnæ copiam facturum: quodsi tamẽ tantùm Vezirio, aut Bosniæ Præfecto esset animi, ut alteruter cum Bano in arenam descenderet, id verò ei fore gratissimum. Decreta posthæc dies est, paténsque apud Zredichko ultra Colapim campus cancellis ligneis, ne fugæ Turcis pateret locus, sic circumscriptus, ut procurrentium tamen pugilum impetum hastarúmque congressum angulis suis

 mini-

minimè prohiberet. Ubi tempus condictum adfuit, Banus convocatis variorũ locorũ Præfectis & amicis, Lupus Frangepanus Croatiæ limitum Præfectus, Joannes Draskovichius Crisiensium equitum Ductor, multique alii, quos aut certaminis gloriæque studium, aut spectandi alexit aviditas, convenêre. Comparabat secum ceteris ad pugnam Mernavicius, conscensóque sonipede, venturum æmulum magnis animis expectabat: cùm ecce adsunt Turcarum literæ per mancipium allatæ, quibus significabant, se ad Zredichko certis causis venire haud potuisse; facturos tamen certaminis copiam, si nostris Berkussam veniendi animus foret. Ità scilicet illi commentis his palliabant metum; revera autem cancellorum septis territi, eò se includere, unde nullus fugæ pateret locus, formidabant, quod illi ut speciosiùs celarent, auditi fuêre dicere: *Majores suos sæpius cum Christianis decertâsse quidẽ, nunquam tamen fuisse passos, ut pecudum ritu in haras* (ità cancellos vocabant) *compingerentur*. Non latebat nostros fraus barbara; ne tamen non timeri ipsi, sed timere potiùs ab superbissimo hoste dicerentur, accepta secum equitum parte

ali-

aliqua Berkuſſam petunt: eò ubi ventum eſt, vaſta rurſum à Turcis ſolitudo, qui non expectato noſtrorum adventu, jam domum profugerant. Doluêre Heroës palmas ſibi perfringi in manibus, expectatóque aliquamdiu hoſte, cùm nullus ſe in conſpectum daret, domum & ipſi, non tamen inglorii, rediêre.

Cauſam provocationis hujus non ſolutum pro Levojevichio pretium Turcæ obtendebant, re ipſa autem urebat ipſos Lupi Mernavicii facinus, atque ad vindictam ſtimulabat; hic namque commiſsô fortè præliô obvium ſibi factum Saphirum Agam Badankovich Disdarii fratrem in fugam agens, breviorî primùm ſclopô ad dextrum latus ſic ſauciârat, ut is accepto vulnere debilitatus, prono in cervicem equi corpore procumberet; at Mernavicius ad inferos deturbaturus devotam ſtygi animam, ùt erat inſigni virium robore, vibrato enſe caput miſeri Agæ cum cervice equi ictu uno præcidit. Ea res, ubi certis nunciis matri allata eſt, eo dolore miſeram complevit, ut tres, qui ſupererant, fratres ad vindictam cognati ſanguinis ſtimulare non deſiſteret. Verùm cùm, uti vidimus, duellum ipſi turpiter ſubterfugerent, maternis tamen

lacrymis dandum aliquid judicarent, non multò pòst, Duce Malagrudicio fædo à Christianis sacris apostata, arma capiunt, mortem fratris, quod singulari certamine non audebant, præliô ulturi. Conatus hi ubi Pro-Regi innotuêre, is Thomæ Erdődio Pocupiensis arcis Præfecto, sui locò Duce exercitûs nominato, Georgium pariter Erdődium ex fratre Nepotem, Petrúmque Keglevichium adjungit, magnísque in hostem animis ire jubet: sub cujus ubi conspectum in monte Arenario ventum est, primus Thomas pugnæ initium fecit: nec multùm à commisso prælio inclinata barbara acie, fit cædes tanta, ut Turcis Malagrudicii fidem in suspicionem vocantibus, propius abfuerit nihil, quàm ut proditor trucidaretur. Territus ille præsenti nece, ut fidem, quam in dubium vocari experiebatur, probaret, acinacem corripit, animánsque barbaros prælium restaurat: sed en plumbea glande in incertum emissa saucius, equóque desiliens, dum se in vicinum quercetum abdit, hostes in plenam fugam conjiciuntur. Partâ celebri victoriâ, laureatóque milite hac illac discurrente, incidit nonnemo in saucium Malagrudicium, tantúmque erat omnium

um

um in eum odium, ut in frusta illico perfidum concisuri fuerint, nisi Lupus Jelachichius eidem junctus sanguine, ut vivus Bano sisteretur, ægrè licèt, ab iratis impetrâsset. Ecclesiæ is demum quidem reconciliatus est, sed mentis fere impos residuam vitam traduxit, constánsque deserti semel Numinis supplicium circumtulit.

Obtenta dein ab armis quiete, *Erdődius* quoque curas suas è campo ad Curiam transtulit, útque Thracum, qui excussô legitimorum Dominorum jugô solis Theutonici nominis militaribus Præfectis parere volebant, insolentiam compesceret, impetrato à Rege nonnullorum Procerum Conventu (Commissioné vulgò dicimus) eos ad officium revocavit. 1635. Ad graviora dein Nobiles descendêre: inter cetera illud quoque petitum: ut officium Banale pristinæ Dignitati & Authoritati juxta *Artic. Viennenses & Posonienses* anni 1608, aliorúmque restitueretur. (*n*) Quæ tamen incassum postulata querulatur *Rattkaius*. Quatuor post hæc vixit annis *Erdődius*, annóque 1639 in arce Rubra (Vőrős-kő) non procul Tyrnaviâ sita, vitam hanc pia morte

(n) *Rattk. Lib.* 5.

commutavit; cadaver autem in Sclavoniam relatum eſt, ínque Klanyecenſi PP. Franciſcanorum ab eo erecta Eccleſia magnifico funere terræ mandatum.

JOANNES DRASKOVICH.

Dal. Croat. & Sclav. Banus. 1640.

Ferdin. III. *Rex.* 1637. FErdinandus III. captus *Joannis Draskovich* inſigni præter militarem artem eruditione (Humanioribus enim is Philoſophicíſque ſcientiis, quas Græcii ſumma cum commendatione publicè propugnavit, linguarum quoque europæarum pene omnium notitiam adjecerat) ut eum è Præfectura Criſienſi ſui locò moderando Illyrico præponerent, Benedicto Voicovich Zagrabienſi Epiſcopo, &
1640. Lupo Comiti Frangepano limitum Croa-
13. *Julii.* tiæ Præfecto dedit in mandatis.

Nec multum ab inauguratione temporis abierat, cùm Duce Petro Keglevichio præclaram de Odo Baſſa, Aga Bradavicza (latinè Verucam diceres) victoriam retulit, Thracésque, quos Valachos vocare ſolemus, jugô Turcicô liberavit. Quies dein à Koſztaniczenſibus Siſcium nuper, ejúſque oppidi Templum diripientibus fuit; Claduſiani tamen Savi accolæ agrum Carloſtadienſem, ac præcipuè

cipuè opidum Rechiczam arcis Stenisniciæ, quæ tunc Bano parebat, crebris irruptionibus divexabant. Injecturus crudeli avaritiæ frenos *Draskovichius*, copias suas Casparémque præter ceteros Orechocium Vice-Banum sextô Idus Nov. in Zredichko convenire, transitóq; altero mox die Colapi, ac recreatis in *Szlatkopolié* corporibus àd ipsam Cladussam hostilem arcem gradum promovere jubet: fecêre illi imperata, centúmque pedites Turcicos cum 40 equitibus obviam factos ità acceperunt, ut ii Comliano suo Duce tribúsque militaribus signis amissis, in arcem pedem referre cogerentur: & capi ea tum, somnô vinóque sepultis barbaris, poterat, si invadendi nostris sat animi fuisset. Collata & posteà pari felicitate cum eodem hoste non semel signa sunt, tutiórque non quies modò, sed lætitia etiam pagis oppidísque procurata: imminuêre tamen postremam adversa varia, quibus Croatia premebatur: nam præter frequentes terræ motus, pestis 1645.
quoque grassari incipiens, quibus ferrum 1646.
hostile pepercerat, trahebat in tumulum, aquarúmque alveos superantium inaudita vis omnia corrumpebat. Accessit ad malorum cumulum ingens in ipsa Zagrabien-

bienſi urbe exortum annô 1645 incendium, quod majorem partem ſacrarum profanarúmque ædium damnô maximô abſumens, collabente poſteà Cathedralis Eccleſiæ fornice, illud veteris magnificique operis multorum millium organum muſicum communi ruina involvit.

Increbuerat ad hæc rumor, Turcam moturum in Venetos, ferróque, ſi prohiberetur, per Croatiam viam facturum: quæ res Bano ſalutis publicæ ſtudioſiſſimo plurimùm ſollicitudinis injecit; verſabat ille in diverſa animum, quáque tot malis mederi poſſet, convocato Senatu, diſquirebat. Miſſi proin in vicinas Provincias Legati, ac ex Styria quidem Joannes Voicovicius, è Carinthia verò & Carniolia Matthias Orſichius auxilia poſtulare juſſi. Rediit paulò pòſt Voicovich, allatáque cum aliquot colubrinis pulveris pyrii globorúmque magnâ copiâ, Illyricum univerſum non mediocri lætitia affecit. Indefeſſam certè *Draskovichii* in curanda ſalute Reipublicæ operam tum illa, quæ retulimus, tum erectæ è ruderibus, quibus 40 ipſos annos tumulatæ jacebant, Gore, Pokupzko, Berkuſſa, non utiles modò, ſed neceſſariæ

riæ etiam ad fines tuendos arces, loquebantur.

Et verò sensisset posteà quoque paternam *Draskovichii* curam Croatia, si eum diutius Bani Magistratu fungi per Regem licuisset; verùm miscente civilibus turbis Ungariam Georgio Rakoczio, mortuóque Nicolaô Eszterhaziô Ungariæ Palatinô, cùm Ferdinandus circumspiceret, quem turbatis adeò rebus fluctuantis Reipublicæ clavo tutò admoveret, *Draskovichium* invenit, virum fide in DEUM, ac Regem omnibus nota celebrem. Illum ergo Posonium evocat, inque frequenti Optimatum concursu una & viginti supra centum tesseris à Nobilitate ad id muneris electum Palatinum, Judicémque Cumanorum declarat. 1646.
Et quamvis *Draskovichius* magnâ lætitiâ exceptus fuerit, non ità tamen quieto diu esse licuit, ut non aversos à se quorundam Procerum animos sentiret. Occassionem querelarũ præbuit diuturnior ejus in Illyrico commoratio, quâ usi *Draskovichii* hostes, datis ad Ferdinandum literis querulantur, magna per absentiam Palatini Regno evenire incommoda, grassari Turcam, Rakoczium nova rursum moliri, neque hæc cordi esse *Dras-*

kovi-

kovichio; cui cùm nullæ in Ungaria opes essent, quid quid adversi accidat, id non suô damnô eventurũ probè scire. Hæc ubi Ferdinando nunciata sunt, dedit operam, ut *Draskovichium* his suspicionibus eximeret, eúmque illico Pannoniam repetere per literas mandavit. Una adhuc supererat calumniandi materia; hanc quoque ut adversariis Ferdinandus eximeret, cum arce totum Ovariensem agrum bis centenis numeratis millibus, ad decennium possidendum eidem contulit: quo dum festos inter reboantium tormentorum mugitus inducitur, paucis in hebdomadibus in morbum incidit, nec multò pòst ipsa Magnæ ad Nives Dominæ festa luce animam, omnibus ritu Christiano morientium Sacramentis expiatus, egit.

1648.

Et videtur Virgo Sanctissima ferventi id in se *Joannis* pietati dedisse, qui vixdum Pannoniæ Palatinus datus, Thalensem Taumaturgam invisit, ipsóque Immaculati Conceptûs die Sacra Exomologesi expiatus, Synaxíque refectus, à Mariana pietate Mariani Regni gubernationem voluit exordiri. Posonii quoque, non multis ante obitum mensibus, duas ipsas horas pro ara Divæ Vir-

GINIS flexo poplite preces fundere, anathema argenteum appendere, Sacerdoti ad aras operanti miniſtrare fuit obſervatus. Neque id ſatis erat viro MARIANO: qui ut pietatem, quâ ipſe flagrabat, in alios derivaret, Officium, ùt dicimus, MARIANUM latinè conſcriptum, in Ungaricum idioma ipſe tranſtulit, útque tacito ſuo nomine Poſonii typis mandaretur, P. Jacobo Némethio Soc. J. commendavit. Atque huic pietati & illud dandum, quòd præter ſubjectos ſibi Ovarienſes Conjugem quoque Barbaram Thurzo, ab Lutheri ſecta ad veram Orthodoxam fidem revocaverit. Accidit fortè, ut primis ab inito connubio diebus Barbara cubile ingreſſa, orantis ſui Conjugis veſtigia genuum in arce Szomolanenſi deprehenderet; attonita illa novitate rei, dum ex *Joanne* rei cauſam ſciſcitatur, quídque tam anxiis à DEO precibus poſtularet, rogat; *Pro anima tua*, repoſuit *Joannes*, *Conjux mea ſupremum Numen precibus fatigo; neque enim fas mihi judico te ſociam vitæ ſortitum fuiſſe, niſi etiam animam tuam communi noſtrûm Creatori lucrifaciam.* Mirata illa tantum in Marito Salutis ſuæ ſtudium, victas tandem agnitæ veritati

ma-

manus dedit, Conjugémque Catholicæ Fidei ſtudioſiſſimum maximâ lætitiâ complevit. Jacet is etiamnum in Æde Divi Martini Poſonii, in ſuorum Genitorum Mauſolæo magnâ Procerum frequentiâ pompâque *Rattkaio* teſte reconditus. *Ketteler* ejus funebri apparatui 10 florenorum mill. attribuit; pauciſſimos tamen Dynaſtarum adfuiſſe memorat: malim ego *Rattkaio* Synchrono, quàm *Kettelero* novorum conſarcinatori fidem habere. Reliquit *Draskovichius* præter ſuperſtitem Conjugem tres filias, quarum Catharina ſanctius vitæ inſtitutum amplexa, ſe in Clauſtro Studenicenſi Sponſo CHRISTO devovit.

COMES NICOLAUS à ZRINIO *Dalm. Croat. & Sclav. Banus.* 1649.

SOluto annô 1647, quo Banalis dignitas vacare perhibetur, (*o*) univerſi Regni Ungariæ Senatu, motus tandem Croatiæ calamitatibus Ferdinandus, viduo Pro-Rege Illyrico *Zrinium*, quem *P. Leonardus Frizon* Gallus è Soc. JESU in panegyri de *Zrinio* dicta *Serinum*, *Ketteler* verò *Iſtvanffii* continuator *Serinium* vocat, Banum nominavit: gubernationi

(o) *Ferd. III. Decr. 2. in Concl.*

tioni tamen Reipublicæ annô primum 1649 tum invidiâ Thomæ Mikulicii Regii Personalis, tum quòd Ferdinandus multis contractis nominibus Bani stipendiis solvendis non esset, admovit. (p) Hujus proin anni Januario mense ab Petro Petretich Zagrabiensi Præsule, Nicolaóque Erdődio in consessu Procerum Illyrici Pro-Rex nominatus, postquam brevi sérmone suum in Patriam studium explicâsset, in Æde PP. Franciscanorum, dextrâ sceptrum ex veteri usu, sinistrâ vexillum tenens, in præeuntis verba Episcopi Sacramentum fidelitatis dixit.

Avum habuit *Zrinius* noster Nicolaum, nobilem illam Szigethi victimam, quem ille ità nomine animóque retulit, ut laudatissima illius exempla toti orbi ad imitandum proposita, sibi uni propria fecisse videatur. Eluxit in juvene adhuc virilis fortitudo, bellorúmque ardor: hinc monenti fortè Regi, sibi ut maturè consuleret, si propria in arce à barbaris obsideretur, negavit se id facturum, qui non sibi, sed Patriæ viveret, neque alio, quàm mœniorum ruderibus, tumulo condi peroptaret. Ast ne loqui speciosiùs, quàm egisse videretur, Regem adversùm 1646.

(p) *Ferdin. III. Decr. 2. in Concl.*

Svecum in Bohemiam iturum secutus est, motisque Szakolczâ castris, non longo lapso tempore exigua suorum manu 200 Svecos cœcidit, dúmque Ægra obsidione ab hostibus tenetur, ne Ferdinandus ipse in eorum manus nocte concubia veniret, vigilantiâ suâ effecit. Wrangelius quippe Tollius adscitis sibi tercentis spectatæ virtutis comitibus, egregium quodpiam editurus facinus, Ferdinandum vinctum abducere meditabatur, jàmque elusis vigiliis ad ipsum Regis tentorium penetraverat, propriúsque aberat nihil, quàm ut in Ferdinando castra tota caperentur nisi Croatæ rem odorati, hostem à castris, ab Rege periculum avertissent.

In Ungariam sub hæc redux Rakoczianos igne, ferróque oram Tybisci vastantes, notabili clade, tribus eorum mill. aut ultricibus *Zrinianorum*, Puchamianorúmque dextris, aut Tybisci vorticibus absumptis, affecit. Ipse *Zrinius* postquam duos manu suâ interemisset, tertio quoque signum eripuit, Gesio Archistratego posteà oblatum. Remuneraturus viri fortitudinem Ferdinandus, eum supremum vigiliarum Præfectum, Croatorúmque omnium Imperatorem nominavit.

vit. Quod ille non indigno ſibi collatum oſtenſurus, hoſtes, Muræ inſulam ac eum præcipuè Adami Battyánii pagum, 1647.
qui à Lupo nomen accepit, populari ſvetos, pro ipſis Caniſæ portis, Alyque Baſſa ex mænibus eventum pugnæ expectante ſic accepit, ut 100 & amplius hoſtium cæſis, plenam victoriam reportaverit. Sed præter vicenos noſtros in pugna amiſſos, Lupi Erdődii temerè cum duobus tribúsve in hoſtem illati, cæſique funus non modico dolori *Zrinio* fuit; cadaver non ſine certamine receptum Joannes Draskovich Palatinus cæſi Lupi Socer in templo ſub Caſtro Vinicza ſito honorificâ ſepulturâ tumulavit.

Hæc ante Banatum à *Zrinio* geſta legimus, in eam verò dignitatem non tam Regio favore, quàm propriis meritis ſublatus, cùm annô 1650 pax cum Imperii Principibus, Orientíſque Imperatore ſanciretur, *Zrinius* quoque ejuſdem cum Caniſienſibus ſtabiliendæ causâ Legradinum venit. 1650.
Accurrêre certatim Turcæ, ut oculos vultu Herois, quem in acie ſinè horrore aſpicere non poterant, ſecuri paſcerent, eodémque ex fonte, unde mærorem priùs, lætitiam modò haurirent. Et erat *Zrinius* procero corpore,

 augu-

augustáque specie, quam vestis aurô dives, surgentes de capite ardearum gemmis ornatæ pennæ, Sarissa pedestrium Ducum insigne manibus lata, multò spectabiliorem reddebant. Interea ingens aquarum moles è nubibus decidua magna clade Zagrabienses affecit; nam præter damna cetera, 12 domus è fundamentis erutæ, complures variæ ætatis, sexúsque mortales furenti elemento in prædam cessêre. Recreavit tamen mærorem populi celebris *Zrinii* de Turcis Kosztaniczensibus pacis nuper initæ ruptoribus relata victoria, quos ille, ad Unnam, præsente tum in Bani exercitu juvene Ladislao Rakoczio ex Italia commodum reduce, quinis uno die congressibus fusos, debellavit. Et poterat tum ipsa Kosztanicza, Simonis Lostor è Carnis oriundi, auróque hostili corrupti, fraude Turcis dedita, recipi, si id per Ferdinandum pacis pacta servari cupientem licuisset. Sed en vix Banus in insulam redierat, cùm affertur Hasan Agam Canisiensem denuò Kis-Comarino imminere: jámque positis ille castris oppugnabat locum, generosè tamen arcem propugnante Ladislao Petthö, quin ipsis mulieribus aquâ, saxísque in subeuntem

mæ-

mania hostem depugnantibus, priusquam advenisset *Zrinius*, jam Hasanes Canisam recesserat, ibidem ex vulnere brachii, quod tormenti globô cubito tenus ei avulsum fuerat, è vivorum numero sublatus. Ne verò ea expeditio inutilis *Zrinio* esset, se cum Adamo Batthyánio turmis Joannis Christophori Puchamii Comaromiensis Præfecti conjunxit, utque acceptum ab Hasane damnum hosti rependeret, Segusdii amplissimi Pannoniæ oppidi suburbium abactis pecoribus incendit, tum, ne barbarus vicem redditurus, Petriniam tentare auderet, suâ præsentiâ, copiosóque scripto milite, effecit. 1652.

Annô verò 1659, cùm de Cœlo tactam Canisam conflagrâsse, corruptóque omni apparatu bellico præter Turcas, Christianos etiam 300 captivos eodem incendio absumptos esse intellexisset *Zrinius*, de re tota illico Leopoldum Regem Græcii Styrorum commorantem certiorem faciens, capi arcem posse significavit; sed quia nondum pacis initæ tempus effluxerat, licèt Turcæ fædifragi Varadinum obsidione tenerent, hostile aliquid in Canisienses tentari Leopoldus prohibuit. Tum verò ubi, expugnatô annô 1660 Leopoldus M. *Rex.* 1657.

Varadinô, manifeſtos ſe Ottomani hoſtes probaverant, *Zrinius* de Croatia ſollicitus, ut eam cum adſitis Provinciis ab hoſtili direptione tutiorem redderet, Serén-vár arcem, quam nos Neo-Zrinium
1661. vocabimus, ſumma celeritate ad Muram fluvium, quà utraque ripa ponte jungitur, conſtruxit. Fatalis ea poſteà non ſemel Turcis fuit, ac primum quidem Caniſienſi Baſſæ, qui, quòd *Zrinium* ab arcis exſtructione non impediverit, juſſu Kiupleri Vezirii eſt ſtrangulatus. Certè annô 1663, dum pax rurſum Vezirium inter, cum 800 mill. Belgradum, Budámque tendentem, ac Leopoldum tentaretur, inter reliquas à barbaro leges poſitas fuit, ut oblato ſibi *Zrinii* capite, Neo-Zrinium quoque dederetur. Sed poſtquam pactio hæc in irritum ceſſit, bellúmque ſpectabant omnia, attributæ variæ Provinciæ aliis fuêre Ducibus; *Zrinius* verò pro Illyrico excubare juſſus, cæſis ex Arnautii Baſſæ copiis ſexcentis, pluribus captis, ac pleriſque poſteà mactatis, paucos, evulſis oculis, naribúsque præciſis, lege talionis mulctatos Vezirio remiſit; nihilô namque mitiùs in Ungaros Ujvarinô Parkanum procurrentes, captósque ab eodem ſævitum fuit

Vezi-

Vezirio, qui *Zrinii* hac, ùt vocabat, barbarie audita, Præfecto Canisiensi in mandatis dedit, iret illico, Neo-Zriniόque expugnatô, illatam Turcico nomini ignominiam vindicaret. Fecit ille imperata, sed tertiò repulsus, 900 suorum amissis, Canisam usque à *Zrinio* profligatus est, nec multò pòst omnibus thesauris, dum ulteriorem Turciam male sibi à Bano metuens petit, exutus. Eandem fortunam 3000 Janitzari experti sunt, quibus cæsis, annonam, quæ ad castra Vezirii Ujvarinum oppugnantis ferebatur, cusique argenti vim magnam idem *Zrinius* diripuit. Captô posteà ab hoste Ujvarinô, missos ad populandam Croatiam 1663. cum Turcis Tartaros, exiguô 480 equitum numerô ex insidiis aggressus, V. Kal. Decemb. internecione delevit adeò, ut qui ferrô se subduxerant, Muræ vorticibus haurirentur; equi natatu evadentes mille & ultra, prædam auxêre, præclara quidem commendatione *Zrinii*, sed multò majore Croatiæ, Styriæque ab incendiis, latrociniisque liberatæ emolumento.

Nec territus his cladibus Turca, quin ob captum licèt cum 15, aut, ùt alii, 25 suorum mill. jactura Ujvarinum, Levam

quoque, Nitriam, & Novigradum interceptum, novis victoriis tumidus, de Croatia primùm, & Styria, tum Tyroli ſubjuganda cogitare cæpit. Unus hæc inter diſcrimina *Zrinius* aptiſſimus à Rege judicatus eſt, qui Ottomanicæ ferociæ opponeretur. Quare is rigente quantumvis Cœlo, aſſumpto ſibi ſocio Wolffgango Hohenlojo Imperialium copiarum
1664. Duce, ità ut 25 millia in caſtris numeraret, 17 Kal. Febr. Neo-Zriniô in Turcicam cis Dravum ditionem movit, tantúmque terrorem circumtulit, ut Berzenicza, Babocha, Verovichia interceptis, expeditum ſibi Eſzekum uſque iter fecerit, decantatum illum recentibus hiſtoricis pontem crematurus. Et perfecit cogitata ſtrenuè, totámque illam machinam 8565 paſſus in longitudine, 17 in latitudine numerantem, frequentibus ad hæc turribus, ubi durius ſolum patiebatur, munitam vix vidit, occupavit illico, ſubjectísque ignibus, opus, decem intra dies à viginti quinque millibus operarum conſtructum, paucis horis 4. Non. Febr. abſumpſit. Verùm non is, qui ſperabatur, hujus facinoris præclari fructus fuit; recedente namque *Zrinio*, ſex in hebdomadis, quod omnium fidem excedebat,

bat, damnum illud omne à Turcis eſt reparatum.

Motis Eſzekinô caſtris, Quinque-Eccleſias ductus miles eſt, quem ubi adventare hoſtes viderunt, expoſitô candidô vexillô, noſtris turpiter impoſuêre: dum enim id deditionis ii ſignum interpretantur, neque cauti ſatis urbem accedunt, miſſo repentè parte omni plumbearum glandinum imbre pene obruuntur. Stetit nonnihil attonitus Chriſtianus exercitus; ſed animus *Zrinii* magis ea clade irritatus, ſuóſque ad audendum cohortans, urbem primo impetu capit, obvios quoſque cædi imperat; nullique parſum omninò, tanta erat victoris rabies, niſi quos in arcem delatos, pedum velocitas furori, ferróque militum ſubtraxit. Capta civitate, arx quoque ipſa aliquamdiu fortiter impetebatur; ſed à qua vehementiâ frigoris, ſubjectis priùs civitati flammis, diſcedere *Zrinius* coactus fuit. Eundem exitum habuit Szigethana quoque obſidio, quam ejuſdem frigoris vehementiâ, annonæque inopiâ ſolvere coactus, ad hibernacula exercitum dimittere maluit, quàm aperto diſcrimini exponere; adferebatur enim certis nunciis duodecim Turcarum millia 1664.

ſolvendæ obſidionis gratiâ adventare. Quæ dum fiunt, Vezirius à Mahomete IV. ſeverè per literas, quòd *Zrinio* non obſiſteret, objurgatus, Neo-Zrinium cingere ſtatuit, ſed à Petro *Nicolai* Bani fratre repreſſus, pedem referre coactus fuit. Advenit interea ex Ungaria redux *Nicolaus* ipſe, útque hoſtem ſibi imminentem præverteret, Caniſæ obſidendæ conſilium ſuſcepit; quod ille ut certius perficeret, hoſtiúmque vires exploratas haberet, quinque ſupra denos ſuorum comitatus arci ipſi ſe ſe admovet, loci ſitum, murorum firmitatem, militisque numerum, quà quà poteſt, ſcrutatur. Non potuit ea res ità hoſtium fallere oculos, quin *Zrinium* coràm adeſſe ſuſpicarentur: 500 proin extemplo arma equ[illegible]ſque ſumunt, ínque ſylva, per quam redeundum *Zrinio* erat, viam præcludunt: quid agat deprehenſus *Zrinius*? mori nempe, quàm vinciri certus, tamdiu ſe modica ſuorum manu tuetur, donec 300 Croatæ pugnantium clamoribus exciti, diſſipatis latronibus, Ducem periculo exemiſſent. Ferunt è Turcis tunc captum fuiſſe validâ adeò loricâ munitum, ut omnes impetentium ictus illæſus perferret; hic idem ingentem la-
que-

queum fericum attulerat, vinctum, ut putabat, *Zrinium* Vezirio, à quo is magnô propofitô præmiô profcriptus erat, adducturus.

Elufis feliciter hoftium infidiis, communicatóque cum Leopoldo Rege obfidendæ Canifæ confiliô, auxilia quoque ad eam rem perficiendam impetravit; quæ tamen quia tardiùs fuppeditata funt, dilata eft in Kal. Maji anni 1664 obfidio, eáque magnis animis fuf cepta quidem; fed ab adventante ingenti cum exercitu Vezirio, qui quinque duntaxat horis abeffe nunciabatur, diffoluta. Erat quidem *Zrinio* animus operiri hoftem, manúsque conf rere, fed diffentiente Hohenlojo, ejus denique voluntati morem geffit, milésque relicto in caftris apparatu aliquo belli, ad ripam Muræ Neo-Zrinio oppofitam eft reductus. Crevêre hic noftrorum ob adventum Montecuculi animi, Neo-Zriniúmque facilè ab hofte defendi poterat, nisi repentina Ducum difcordia omnia corrupiffet. Nam poftquam Montecuculus exturbatô Ungaricô, Illyricóque præfidiô, fuum arci impofuit, vehementer ea re offenfus *Zrinius* Chaktornum relictis caftris abiit, de ignominia, fibi, fuisq; illata, graviter apud Leo-

Leopoldum per literas questus. Interea Vezirius ob liberatam Canisam lætitiâ tumidus, suis cum copiis Neo-Zrinium advenit, súbque conspectum Montecuculi, sic tamen, ut flumine dirimeretur uterque exercitus, ea parte ripæ, quâ arx constructa erat, se dedit. Præerat loco, jubente Montecuculo Vangurius Baro, arcémque itã tuitus est, ut infundente se ipsis vallis Turca, ejectóque in auras semilunari aggere, perterriti præsidiarii, tumultuariè per posticum arcis fugientes, pontem Muræ instratum peterent, Montecucul‍ianis se castris conjuncturi: mille & quingenti universim fuêre, qui dum plenâ fugâ non tam feruntur, quàm præcipites ruunt, pons tanto pondere fatiscens, & disruptus, octingentos eorum in rapidum flumen effusos, neci dedit: reliqui Turcarum acinacibus periêre. Atque hunc in modum locum natura, & arte munitum, quem anno præcedente 100 Croatæ, 20 Germani
1664. strenuè propugnaverant, nulla suorum
9. Junii. cæde Vezirius intercepit, diruitque. Sarsit tamen eam cladem Montecuculus in campo Sancti Gotthardi celebri illo cum eodem hoste comisso prælio, in quo adlectis etiam iis, quos varia priùs certami-

tamina minora absumpserant, sedecim Turcarum millia cæsa perhibentur.

At sequens annus, uti Ungariæ miserè laceratæ proficuus, ità *Zrinio* fatalis fuit; sancita enim Leopoldum inter Regem & 1665. Sultanum pace, virtutem ferrúmque, quod in hoste non poterat, cùm in feris exercere magno Heroi placeret, accidit fortè, ut prægrandem aprum plumbea glande vulneratum in fugam vertens, insecutúsque, eò adigeret, unde effugium belluæ pateret nullum. Hic *Zrinius* equô desiliens, venabulum expedit, ultimo vulnere feram confecturus; sed illa accepti vulneris dolore provocata, ínque postremos erecta pedes, irruit in adversarium, humíque stratum dissectâ dentibus gulâ, ventréque ipso fœdè discerpto miserè confecit. Accurrerat quidem ephebus Gallus, heróque futurus auxiliô, sclopum expediverat, sed fomes negato igne, optimos conatus elusit. Non in Croatia solùm, & Ungaria, verùm universa Europa magno luctu ejus mors accepta, solis invidis, Turcísque lætitiam peperit, qui tanto metu liberatos se gavisi, editis festivis ignibus, commune gaudium comprobârunt.

Et sa-

Et ſanè quàm juratus Ottomanorum hoſtis fuerit,ultra mille,urbes partim,aut oppida, pagi, villæque in hoſtico dirutæ, ablata bis mille quingentísque curribus cum captivis præda, erepta centum & quinquaginta hoſti tormenta bellica, omnis denique latè hoſtilis regio Dravo Danubióq; coërcita, quá incendiis, cædibúsq; replevit ingenti perſæpeChriſtianorum cenſu in libertatem vindicato, teſtantur. Atque hæc præclara facinora non intra Patriæ duntaxat limites famam magno Heroi pepcrêre, exteras quoque nationes ejus nominis ſplendor perſtrinxit. Alexander certè VII. hujus nominis Rom. Pont. aurea *Nicolaum* ſui effigie: Philippus IV.Hiſpan. Rex aureo vellere, quod tamen mortuô jam *Zriniô* allatum eſt: Cardinalis Barberinus annua penſione: feſtis Principes alii acclamationibus cumulârunt. Ludovico XIV Galliarum Regi tanto in pretio fuit, ut is non modò decem mill. Imperialium munere eum donaverit, ſed Ducibus quoque ſuis in abſolutum belli Imperatoris exemplar proponere ſit auditus. Acceptô verò mortis *Nicolai* nunciô, vehementer infelici fato indoluit, cúmque ei nullum aliud officii genus præſtare poſſet,

magni-

magnificis funebribus Parisina in urbe adornatis, per P. Leonardum Frizon è Soc. JESU laudibus pro frequenti concione epycedióque celebrandum mandavit. Quæ dum apud animum suum quis reputat, mirandum est, nuperum quempiam historiographum præclari hujus Herois facinora ubique elevare. Equidem si, quæ Historicus iste chartis suis illivit, vera sunt, illud sequatur necesse est, ut summos hos Monarchas judiciô graviter lapsos, neque justos rerum æstimatores, qui tot laudibus immeritum *Zrinium* extulerint, fuisse dicamus. Id verò de maximis Europæ Principibus non dico scribi, sed vel cogitari, quis, nisi ab imprudente, patiatur.

PETRUS ZRINIUS.
Dalm. Croat. & Sclav. Banus. 1666.

NIcolao uti sanguinis conjunctione, ità heroô animô perquam similis, in Præfectura Illyrici, non tamen continuò à morte Fratris, successit *Petrus Zrinius*. Insigne ab eo adolescente admodum fortitudinis monumentum editum legimus: venatu fortè animum ad Posonium recreanti Ferdinando, ceterisque Proceribus sub conpectum se dedit aper.

aper ſeptem jam natus annos; juſſus hunc aggredi à Rege *Petrus*, morem geſſit illico, ſtringénsque acinacem, ſic frontem belluæ feriit, ut illa in terram collapſa, animam extemplo cum cerebro profunderet. Miratus Rex *Petri* fortitudinem, dari ſibi in manus enſem popoſcit, quem aliquamdiu librans, cùm ob pondus commodè tractare non poſſet, reddidit rurſum juveni, non ſuis viribus aptum affirmans.

A ludicris his ad ſeria dein animum adjecit certamina, cúmque Nicolaus frater Germanicô impeditus bellô ei tuendam Muræ inſulam demandâſſet, adeò ſtrenuè impoſitam ſibi explevit provinciam, ut vice quadam cæca jam nocte obviam hoſti factus, eum, ad Muræ uſque amnem inſecutus, in fugam compulerit. Fugientibus, quà quemque impetus, pavórque ferebat, Turcis, unum quempiam ſalutis ancipitem, ac, quod dici amat, aram inter, ſaxúmque poſitum, cùm is in rapidiſſimum flumen ſemet conjeciſſet, in eosdem vortices ſecutus eſt, arreptúmque mediis in fluctibus trucidavit. Pereundum tamen iiſdem aquis erat *Zrinio*, niſi *Dechko* quispiam Ducis periculô commotus, eum inſtanti

morti

morti eripuisset. Additurus novo Rex militi animos, Silbergensem ei Præfecturam sed ea lege contulit, ut scriptis suo ære sex centuriis exercitui Regio in Bohemiam adversùs Svecum ituro se conjungeret. Fecit ille imperata, proximáque æstate Pilsnam Bohemiæ urbem magno vestium, armorúmque apparatu ingressus, frequentissimam concionem ad 1640.
se, suósque spectandos excivit. Rebus ibi præclarè gestis, postquam Patriæ fuisset redditus, utilem Fratri Nicolao non semel locavit operam, súbque auspiciis posteà Lupi Frangepani nobilem de Turcis Bihachiensibus victoriam haud pro- 1649.
cul Szlunio, ubi Barbarorum Dux Badankovich, à Joanne Crisanicio Lupi filio trajectus, vitam posuit, reportavit. Non longè hic à periculo *Zrinius* ipse aberat; nondum inchoatô namque præliô, Badankovichio occurrere avidus, dum concitatiore equo in hostem fertur, ruptis fortuito casu habenis rectà in mediam Turcorum aciem rapiebatur, eò deferendus haud dubiè, nisi commilitones properè insecuti, equum à cursu stitissent. Cæso hoste Szlunium eo die, ac altero mox Carlostadium nostri triumphantium ritu ingressi, hymnô Ambrosianô de-

cantatô, supremo Numini pro concessa victoria grates egêre. Caput Badankovichii hastæ præfixum jucundo fuit spectaculo, quod ut militari pompa conderetur, uxor vidua transmissô nobilì caballô, à Frangepano petiit, & impetravit. Sásvár pariter Aga eâ pugnâ captus, quinque millibus imperialium libertatem redemit.

Sed felicem hanc rerum omnium, & quas dein gessit, telam annus 1671 rescidit, & involvit: vasto quippe illo, qui tunc universam Ungariam quassabat, civilium bellorum turbine ipse quoque abreptus, à Regiis partibus ad confæderatos transierat, offensus forsan, quòd ei ad Banatum, quem ægrè, vir de Patria aliàs optimè meritus, Majorúmque gestis clarissimus impetraverat, Carlostadiensem Præfecturam Leopoldus Rex adjicere nollet. Ubi proin mutatus ejus animus, initáque cum Tattenpachio consilia Viennæ, per Tattenpochii servum ob furta in carcerem conjectum, ac propterea vindictam de Hero sumere cupientem innotuêre, illico in Illyricum cum sex millibus Spankavius adversùs octona *Zriniana* è Morlachis, Valachis, Uskokisque conflata missus est, commissóque

que campeſtrî prælió fugatus *Zrinius*, ſe cum Frangepane, duobúsque Morlachorum mill. Chaktornæ arci incluſit. Inſecutus fugientes Spankavius, cum arcem aſſiduò quateret, résque jam fere in extremo eſſet, Forſtallum quempiam è Divi Auguſtini familia, quo à confeſſionibus utebatur *Zrinius*, Viennam mittit, gratiam Clementiſſimi Regis petiturum. Lobkovichius veniæ locum eſſe reſpondit, ſi ſe, ſuáque Regis arbitrio relinqueret: filium obſidem mitteret: abdicaret Pro-Regis munus, pro quo Carloſtadii Præfecturâ donaretur. Sed cùm Forſtallus moras nectit, arx interea nuſquam intermiſſa oppugnatione, ſtratis latè ruinis lacera, proxima erat, ut caperetur. Deſperata proin defenſione intempeſta nocte per averſam arcis portam ſe *Zrinius* & Frangepanus ejiciunt, eóque facto Chaktornam cum ceteris *Zrinio* obnoxiis arcibus in Spankavii poteſtatem tradunt. Tum verò incerti illi aliquamdiu quid agerent, Viennam denique petere ſtatuunt, Clementiſſimi Regis gratiam tentaturi: eò dum tendunt, accidit fortè, ut ex via ad Joannem Comitem Kéri cum magna famulorum turba delati, hoſpitium orarent: annuit illico Kérius;

rius; loci tamen causatus angustias, ut cum senis arcem ingredi liceat, concedit, ceteris foris manendum significat. Nondum sensêre insidias; sed vix arcem ingressi, dum sublicium à tergo pontem attrahi mirantur, quibus semet cassibus induissent, pernoscere cœperunt: quos postridie frequenti armatorum manu cinctos, ac nec quidquam læsa amicitiæ, hospitiique jura inclamantes, Viennam Kérius abduxit.

Egit hic prolixô commentariô causam suam *Zrinius*, &, quæ innata fuit Regi piissimo Clementia, veniam quoque impetraturus sperabatur, nisi aliorum Justitiam ingerentium consilia obstitissent. Translatus proin cum Frangepano Neapolim Austriæ est, ubi postquam menses aliquot, diversis tenti ergastulis delituissent, mortis ab Rege, sed invito, latæ sententiam accepêre. Facta utrique est mutuò se se videndi copia, quâ usi illi, remissis, ùt Christianos decet, offensis, se ad mortem piè obeundam comparare cœperunt. Et *Zrinius* quidem, ùt magnanimo erat pectore, immoto triste nuncium vultu excepit, positáque rerum humanarum cogitatione, totum se ad longum æternitatis iter debitè suscipiendum con-

convertit. Poſtquam trigeſimus Aprilis illuxit dies, delati in Urbis armamentarium, paucis præſentibus repetito ambo ictu vitam poſuêre. Commendandus hìc vel ex eo *Zrinius*, quòd plectentis Numinis manum exoſculans, inter pia illa verba: *In manus tuas Domine commendò Spiritum meum*: fatalem ictum exceperit. Cadavera poſtquam ſpectaculo fuêre aliquamdiu, honorificè dein cum reſectis capitibus in Templo principe ſunt recondita.

COMES NICOLAUS ERDÖDI
Dalm. Croat. Sclav. Banus. 1681. (*q*)

SUmptô de Petro capitali ſupliciô, eidem non Georgius Zrinius, quem P. *Spangar* Soc. JESU, recentiſſimus *Gregorii Petthő* continuator, annô 1676 Banum Croatiæ è vita hac diſceſſiſſe ſcribit, ſed, uti ex *Szentivanio* Synchrono certum habeo, *Nicolaus Erdődius* licèt annô primùm 1681, ſucceſſor datus eſt. Conſtat quidem Georgium Zrinium præfuiſſe Illyrico, ſed is jam annô 1626, non autem 1676 vitam hanc mortalem legitur poſuiſſe. Ad Præfecturam itaque Illyrici, quod

N 3

(q) *Leop. Decr.* 3. *in Concl. & Szentiváni in Miſcell.*

quod jam annô 1646 vicaria Bani poteſtate, profecto in Ungariam Joanne Draskovichio, moderabatur, virtus *Nicolaum* noſtrum ſuſtulit, quem vel ſoli Magiſtratuum, quos geſſit, tituli magnum fatentur. Sibi illum ſecretior Cæſareus Regiúsque Senatus Conſularem datum, ſibi Petrinienſis arx ſupremum Præfectum, limites Colapini Generalem, omnes denique Illyrici nominis pedites copiæ Ductorem habuerunt. Summam poſteà Bani conſecutus Præfecturam, Ottomanorum copias, vaſtaturo Ungariam Tőkőlio in auxilium miſſas, cecidit non ſemel, factáque annô 1685 in hoſticum irruptione, Koſtaniczam, Dubiczam, Billaſtenam, Carloſtadium aut cepit, aut obſidiô liberavit. Et ad Koſztaniczam quidem cæſa ſunt barbarorum plus mille capita: adempta ſeptem ſigna: ducenta florenorum mill. non annumerata alia magni pretii ſupellectile, in prædam venêre.

Tam præclaris de hoſte relatis laureis, ut cives ab inteſtinis diſſidiis contineret, illud ab Leopoldo petiit, ut Croatis à pendendis Règiis vectigalibus eſſe immunibus liceret. Voti facilè ab Rege donatus eſt, à quo quanti fieret *Nicolaus*, te-

testantur crebræ summi Monarchæ ad Banum literæ, expetita consilia, laudes passim agglomeratæ. Quid quòd Innocentius ipse XI. datis ad *Erdődium* literis, præclaram ejus fortitudinem, invictúmque animi robur commendaverit. His ille excultus favoribus, tantùm abest, ut sumptô superciliô, agnatam sibi modestiam posuerit, ut etiam oblatum in Soproniensibus Comitiis Palatini Magistratum 1681.
ultrò renuens, Paulum Eszterházium suô quoq; calculô in hoc honoris fastigio collocaverit. Eripuit Heroëm verè magnum annus 1693, cui magno tum suorum civium, tum Aulæ Viennensis luctu, velut *eximio Christianitatis defensori, & solerti hostium exploratori* parentatum *Ketterus* scribit.

COMES ADAMUS BATTYANI
Dalm. Croat. Sclav. Banus. 1693.

JActis feliciter in ipso adolescentiæ flore belli fundamentis, quantùm hac in arena profecisset *Adamus*, ut ostenderet, conflixit, victor semper, cum hostibus, tumultuantésque annô 1682 agrestes, quorum bis mille, Styriam populaturi, confluxerant, haud procul Legradinô aggressus, præcipuis seditionis authoribus

captis, atque in furcam actis, ceteros ex castris ad rastra compulit, ensésque ligonibus commutare præcepit. Inventi fuêre posteà nonnulli, qui dicerent *Adamum* annô 1683, quo innumera Turcorum multitudo Viennam obsessura, Ungariæ se parte omni infuderat, creditam sibi Muræ stationem, nece ab suis intentata, deseruisse, apertáque barbaris viâ, quâ ii in regiones illas latè grassarentur, à populatione non prohibuisse.

Quæ etsi fors non ex falso omnino in virum integerrimæ aliàs fidei dicta fuerint, detersit tamen hanc, si qua fuit, labem, séque Regi, à quo non malô consiliô, sed Turcicâ illâ procellâ abreptus fuerat, quamprimùm reddens, utilem in
1685. obsidenda Buda, dum hæc ab Stahrenbergio premeretur, operam contulit, cúmque negligentiâ Generalis Forster Annonæ Præfecti conatus is in irritum cecidisset, milésque Strigonium retraheretur, ad expugnandam eam urbem, reportandámque de barbaris, qui nostros ad Nyerges-Ujfalu aggressi fuêre, victoriam adjumento fuit. Verùm uberior se palmarum messis altero mox anno aperuit; admoto namque eidem Budæ, sed Duce Carolo Lotharingio exercitu illatus

tus *Battyánius* cum ſuis Ungaris in Ertſinenſes Turcas, quos Ahdurachmanus Budenſis Præfectus evocârat, ſic mulctavit, ut tribus demptis omnes ſub ipſo Budæ conſpectu trucidaret. Nec multò pòſt impletis Hajdone navibus, quarum aliquot Comaromiô quoque acciverat, Divæ Margarethæ inſulam diripit, cæſisque inſulæ Ertſinenſibus pariter cuſtodibus, nobili ducentorum mill. florenorum præda potitur. Cymelia potiſſimùm Nobilium Turcarum mulierum fuêre, quas Ahdurachmanus 10 navigiis impoſitas, antequam obſidio inciperet, in inſulam, forti ad earum cuſtodiam manu attributa, dimiſerat. Subactâ demum univerſi Chriſtiani orbis jubilô Budâ, cùm variæ arces noſtrorum virtuti cederent, Alba quoque Regalis, urgentibus eam *Adamo Battyánio*, Joanne Eſzterházio, Barone Arejzaga Leopoldopolitano Præfecto, victas annô 1688 manus dedit. Quia verò Belgradum ipſum Duce Emmanuele Maximiliano Bavariæ Principe eodem anno tentare placuit, ne vicinarum arcium hoſtis procurſionibus frequentioribus caſtra noſtrorum infeſtare poſſet, variis præſidiis Ducibus aliis attributis, *Battyánio* cum Croaticis, Ste-

phano Zichio cum Ungaricis copiis Canisa premenda obvenit. Elusit illa diu multúmque oppugnantium virtutem; sed anni 1690 hyeme fame domita, postquam 90 annos Turcis paruisset, deditionem denique fecit.

Admotus posthæc Illyrico *Battyánius*, cùm omnia rursum armis circumstreperent, collecta annô 1696 Croatorum manu, Neo-Tudorovium, Velkladischam, Uranogræcium adsitas Carlostadio arces Turcis eripuit, (r) missóque in Bosniam Simone Forgachio, complura loca, non modica hostium strage, evertit. Sancita demum annô 1698 Regem inter & Turcam Karloviczii 25 ann. pace, dum
1699. altero mox anno Josephus Archi-Dux Serenissimam Amaliam Wilhelminam Principem Hannoveranam in sponsam acciperet, aucturus Hymenæi pompam Paulus Eszterházius Ungariæ Palatinus, cum *Battyánio* Bano octingentos ex Ungaris Croatisque attulit, seu armorum venustatem, se vestium splendorem considéres, eo loco, solennitatéque dignissimos. Celebratis Regio splendore nuptiis, ut primùm septingentesimus supra millesimum annus cœpit, ornaturus nova dignitate

(r) *Ketteler L. 49.*

tate *Battyánium* Leopoldus eum 13. Martii ad Senatum transtulit, dictúmque Judicem Curiæ, quam campô prius defenderat, nunc forô Rempublicam tueri jussit. Nec diu is tamen supervixit, Præturam, quam summa laude orsus fuerat, in Georgium Erdődium circa annum 1702 morte transferre coactus. 1700.

COMES JOANNES PALFFI
Dal. Croat. Sclav. Banus. 1704. (s)

Josephus Rex. 1705.

LIberales artes, ac virtutem præcipuè bellicam insignia esse ornamenta animi, nemo est, qui dubitet; quibus tamen si natalium gloria, acceptáque velut hæreditate à Majoribus generis nobilitas se conjunxerit, tum verò splendidiores illæ solitò, admirabilioresque esse consueverunt. Nihil horum est, quod in PALFFIO desideres, qui nobilissimo, quódque quartô jam & decimô florebat seculô, apud Ungaros in arce Vörös-kő ortus genere, Patrem habuit Nicolaum eo nomine IV, Matrem Eleonoram Carolo Comite Harrachio, & Francisca Eggenbergia Principe genitam. Vix prætextâ positâ, postquam pulcherrimis animum Tyrnaviæ, Posoniique scientiis exco-

(s) *P. Spangar S. J. pag. 72.*

coluisset, è Scholarum pulvere in Martis evocatus arenam prima militiæ fundamenta sub maximis Lotharingo, Badensique Ducibus in Ungaria posuit, laureásque non raró messuit, Patriæ utiles, sibi gloriosas. Certè cùm prioris seculi bellô Gallicô in Imperio ageret, eum se exhibuit, ut communi Ducum suffragiô dignus censeretur, quem Romanorum Ungarorúmque Rex, Adami Czoborii, JOANNIS nostri Soceri; (Theresiam namque ejus filiam ex Barbara Erdődia genitam, tot posteà Heroum, quot filiorum matrem, in uxorem PALFFIUS acceperat) legioni Ungaricæ Tribuni nomine annô 1692 ab ejusdem Czoborii morte præficeret. Non stitit hic Regius in JOANNEM favor: Ungarorum namque legione, permittente Leopoldo Augustissimo Rege, in Adamum Koloniczium Affinem suum traducta, non modò aliam loricatorum Germanorum exeunte annô 1694, cui Carolus Palffius, PALFFII nostri patruus, tertio Novemb. die Mediolani anni ejusdem decedens, præfuerat, obtinuit, sed universi etiam Illyrici, absens licèt, annô 1700 Pro-Rex dictus, eorum Regnorum moderationem annô 1704, 22 Martii ipso Paschatis

tis festo, Varasdini, præsente lectissima sua Conjuge Czoboria, non multò pòst Generalis Campi Mareschallus pronunciatus, suscepit. Inaugurationem in Pro-Regem bellum (t) an. 1701 in Italia cœptum distulerat, ex qua evocatus in Imperium, non nisi sub finem 1703 anni se Patriæ reddidit, Confœderatósque non una clade affecit. Et ad Pudmeriezum quidem postquam cum Erbevillio 40 prope eorum mill. an. 1705 fugâsset, Sopronio solâ sui adventûs famâ Ocskaium cetérósque annô 1706 depulit, occupatóque paulò pòst Kapuvarino, cui Cziriakius cum 40 peditibus præerat, Rakoczium ipsum annô 1708, 3. Augusti die in plenam ad Threncsinium fugam conjecit. Fuerat quidem ejus expeditionis Dux Sigebertus Heister, victoriam tamen consiliô PALFFII, hostem probè vallis munitum non à fronte, quod volebat Heisterus, sed latere, quo debilior erat, aggredi suadentis novimus relatam. Hic idem ille Heisterus est, qui anni 1704 Decembri mense, die ipsi Divo Stephano Proto-Martyri sacro ad vicum Gerencsir non longè Tyrnaviâ positum, cum iisdem Rakoczianis confligens, adeò primùm

(t) *Vide Wagner S.J. in vita Leop. T. 2. à p. 581.*

mùm mulctatus est, ut occupatis pene tormentis, ipse quóque, ab audentiore quopiam stricto acinace secundùm impetitus, vitam cum capite positurus fuerit, nisi assistens lateri Comes Marcus Czobor solutò opportunè sclopô, temerarium invasorem ipso in ictu occupâsset. Cœsis tamen ad extremum 180 (*u*) Rakoczianis peditibus, reliquis cum equitatu diffugientibus, victus jam pene Germanus triumphum de victoribus, præter ipsius Heisteri opinionem, egit. Scio à nonnullis augeri cœsorum ab Heistero numerum; verùm quid opus illustri Heroi, dum veris abundat, alias laudes allinere.

Sed ad PALFFIUM sermo redeat, qui partâ eâ Threncsiniensi victoriâ, postquam ad Sopornium Provinciæ Nitriensis pagum, Heistero Posonium discedente, supremam copiarum Præfecturam accepisset, vires universas Nitriæ ipsi die 22 Augusti admovit, ejúsque magnô bellicorum fulminum numerô quassatæ deditionem eo ipso, quo ante quadriennium Rakoczio cesserat, Divi Bartholomæi

(u) *Spangar. pag. 75. aliíque vivi testes, qui cæsos aut humârunt, aut nondum terra mandatos diligenter perscrutati sunt.*

mæi die ab arcis Præfecto Caſparo Révaio extorſit. Captâ Nitriâ Ladislaum Ocskaium cum tota equeſtri legione ſponte ad Regias partes redeuntem accipiens, illo, ac aliqua militis manu aſſumpta, Baimoczium ſuum coronâ cingit, illúdque derivatis clàm noctu aquis, dedente ſe Joanne Marſchiczkio è Turoczienſium Nobilitate arcis Præfecto, ſui juris 11. Nov. facit.

Minora reliqua prætereo; illud certè laudis gloriæque in ſe habet plurimùm, 1710.
quòd PALFFIUM expugnato cum Agria Jaſſovienſi caſtro glorioſum, optatiſſimæ Regios inter & Confœderatos pacis initæ authorem agnoſcere, impeditas eo agente Templorum direptiones, mutuas familiarium cædes prohibitas, finem civilibus populationibus impoſitum fateri debeamus. Diſcedente namque poſt captum Ujvarinum in Styriam Heiſtero, poſtquam is probante Aula ſummum in Ungaria armorum Præfectum PALFFIUM reliquiſſet, Civilis hic ſanguinis effuſionem peroſus, ſcriptâ Baroni Alexandro Karolio epiſtolâ, pacis, cujus poſteà confectæ gloriá, quod nové ipſos annos armis tentabatur, Fata PALFFIO uni

uni reſervâſſe videbantur, jacere fundamenta cœpit.

1711. Ineunte proin ſequente anno Vajæ ad Tybiſcum colloquium cum Karolio habuit, quódque literis priùs, idem mutuo ſermone habito, tractare cœpit ultimo Januarii die, quo ipſo Joſephus Rex ei SUMMO ARMORUM SUORUM IN UNGARIA PRÆFECTO per diploma nominato, plenam ſanciendæ ejus pacis poteſtatem attribuit. Quare diſcedente in Poloniam Rakoczio, Karoliùs Confœderatorum rebus præeſſe juſſus, ſuum, non ad Huſtium Maramaruſienſe, ſed ad Szatmarinum, Senatum menſe Aprili contrahit, exauthoratóque in Majthénii Oppidi campo Rakocziano exercitu, 149 vexilla Regi legitimo 1ma Maji ſubſternit, Auguſtiſſimæ Eleonoræ, quæ, ſublatô maximo omnium dolore 17 Apr. Rege Joſephô, rerum potiebatur, in pacis initæ teſtimonium Viennam deferenda. Redierat in fidem priſtinam 26 jam Apr. die Caſſovia, quæ licèt Gubernatore Gabriele Eſzterházio ab milite & armis foret inſtructiſſima, obſidiúmque multis menſibus toleratura videretur; miſſo tamen per PALFFIUM Ladislao Ebergenio viro invicto, Leſelholczio item & Viardto Regi-

Regiis Legatis ſe dedidit, perſuaſáque ejuſdem PALFFII literis, clementiam maluit Regiam, quàm arma experiri. Unum tamen Munkacsinum, ſancita quamvis pace, reſiſtebat ſuperbiùs, quod pariter, admoto 20 Maji exercitu, dedente ſe Stephano Senneio loci Præfecto, die 23 Junii captum, celebrandi majore lætitia onomaſtici diei PALFFIO cauſa fuit. Hæc ob merita Makovicza cum ſua ditione ſummo Heroi obtigit, Comitisq; Supremi apud Saároſienſes dignitas, quâ Poſonienſem quoque Provinciam moderatur, tum Generalis Caſſoviæ, & Confiniorum Præfectura ei collata. Delectavit quoq; plurimùm, Auguſtiſſimum, jam Cæſarem, Carolum Viennam reducem Illuſtriſſimi tum Baronis Karolii in concilianda ea pace induſtria, quem datis ex itinere literis Cæſar conveniens, poſtquam plurimùm ſibi placere felicem ejus conatum ſignificâſſet, Comitis titulô, nec immeritum, honeſtavit. Carolus III. *Rex.* 1712.

Refloruêre illico poſitis armis literæ, quarum amorem ùt in juventute accenderet PALFFIUS, præmiis palàm annô 1713 bene meritos ex Athenæo Caſſovienſi excoluit, ut & his majores animos adderet, & ignavis torporem excuteret.

1716. Sed en bellum rurſum annò 1716 recruduit, Karloviczenſi pace, tum ob ereptas confœderatis Venetis inſulas aliquot, tum ob conjectum in vincula Fleiſchmanium, Cæſareum apud Ottomanos Legatum, à Turcis violata. Novus proin conſcribi rurſum cœptus miles eſt, universísque aciebus Sabaudiæ Dux Eugenius præeſſe juſſus. Non multò pòſt Futakini miles omnis conſtitit, Turcáque nihilò ſegnior, transmiſsò Savô, cum ingenti ducent. mill. exercitu Petri-Varadino, annô 1687 Leopoldi M. armis in libertatem vindicato, imminere dicebatur. Expeditur illico PALFFIUS, ſpontè eam provinciam depoſcens, cum 1500 equitibus Germanis, & 400 Ungaris, (x) Karlovicziúmque ſuſcepto itinere, certiora referre jubetur. Vix ille ad Farum S. MARIÆ de Pace, locum ab ultimo cum Turca fœdere ſancito celebrem pervenit, ingentem hoſtium numerum adventare conſpicatus, hominem ſinè mora ablegat, duas equeſtres legiones ab Eugenio auxilio petiturum. Miſſi illico Bareithiani, modò Battyániani, Dimachæ, & Loricati Contrecourtenſes, PALFFIANORUM non tam numerum, quàm, ùt

(x) *Ketteler L. 51.*

ùt putabatur, cædem aucturi. Et certè vix diſpoſito in ordines milite, 40 Spahorum millia, è dumetis inſano clamore erumpentia, tanta vi in noſtros illata ſunt, ut nisi PALFFIUM illi Ducem fuiſſent nacti, Cannenſem Romanorum cladem renovaturi viderentur. Sed invictus Heros nihil turbatus animô, tant. fortitudine quatuor ipſas horas irruentium ſuſtinuit impetum, ut duobus ſubter ſe confoſſis equis, ex tertio, nobilis cujusdam Baſſæ ab Generali Hauben trajecti, generosè dimicans, 400 duntaxat ſuorum partim cæſis, partim vulneratis, quinque hoſtium vexilla, interfectis 1000 barbaris, receptu, quàm fieri poteſt, ordinatiſſimo in caſtra retulerit, magnâ omnium lætitiâ, majore eorum, quibus cognita hoſtium multitudo fuerat, admiratione. Venit tamen eo certamine in barbarorum manus Comes Sigefridus Breuner, Generalis campi, ùt *Kettelerus* vocat, Pro-Præfectus, amiſsô equô in medio relictus hoſtium, quem poſteà fuſo ad Petri-Varadinum Turca, in ipſis Vezirii caſtris recens obtruncatum, catenísque onuſtum noſtri invenêre. Præſagiiſſe nempe hanc, reliquásque pro Romanorum Imperatore, Regéque Ungariæ rela-
 tas

tas victorias aquila illa, vetus olim Ungarorum insigne, visa est, quæ palatium, in quo primam lucem aspexit JOANNES, ipso nativitatis momento insedisse, constanti Seniorum narratione perhibetur.

1716. Comisso tam glorioso cum hoste numeroso certamine, animosior factus Christianus miles, Petri-Varadinum, à Petro Rege conditore dictum, castra transfert, collatísque cum universo Vezirii exercitu dextris, ea clade Augusti sexta die affectus hostis est, ut communi opinione in acie, fugáque tricies mille cæsorum jacturam passus feratur. Præda dives & copiosa militi cessit, ex qua memoriâ hic digna videtur machina illa bellica grandioribus pilis ope nitrati pulveris jaciendis aptata, cui latinis literis incisa legebatur epigraphe: *Revertar in Patriam*: Fusa hæc erat sub Ferdinando I. sed à Turcis intercepta, in Venetorum quoque potestatem devenit, Moream ab iis devecta; verùm domitâ ab Turcis Moreâ, rursus sui eam juris fecêre Mahometani, húcque Petri-Varadinum adductam, nostris inter cetera victoriæ monumenta reliquêre. Non quievit hic Eugenii laureata virtus; qui missô extemplò JOANNE PALFFIO, & Alexan-

xandro Wirtembergico Principe cum aliqua equestrium, pedestriúmque copiarum parte, explorandæ iis Temesiæ negotium dedit. Advenit mox universus exercitus, munitissimáque arx 13 Octobris robori Christiano succubuit. Variæ durante obsidio tentatæ ab hostibus eruptiones fuêre, in quarum una fortè accidit, ut Joannes Vékonyius Calvini tum assecla, Rakocziique quondam miles cum Turcis erumperet. Viso homine PALFFIUS, atque ex vestitu Ungarum agnoscens, gravibus verbis increpuit, quòd juratissimo Christiani nominis hosti Christianus ipse operam commodâsset; ageret proin, & præclaro aliquo facinore inultam nomini labem elueret. Valuit apud hominem magnanimi Ducis hortatio, pollicitúsque illico est, non passurum se, quin, si posset, bene de Christianis mereretur. Tum, ne à Turcis in suspicioné proditionis vocari posset, solutô in illum PALFFIUS, is vicissim in PALFFIUM, sed nullo nocumento, sclopô, Temesiam se cum Turcis recepit quidem, ast memor datæ fidei, plurimum operæ contulit, ut vindicato ab extremo excidio Eugenii exercitu, Belgradum ipsum caperetur.

1717. Decimô namq;, & ſeptimô ſupra milleſimum ſeptuageſimum annô, dum Taurunum (Ungaris Nador-Fehér-vár) coronâ cingeretur, Vékonyius noſter literas magni Vezirii, obſidionem ſolvere molientis, ad Belgradenſem Præfectum perferre juſſus, excepit mandata avidus, ſuſceptóque arcem versùs itinere, per varias ambages, ità ut noſtras quoque vigilias falleret, ad PALFFIUM pervenit; literas exhibet, ſimúlque Eugenium de Vezirii, Chriſtianos eodem tempore è caſtris, urbéque aggredi parantis, conſilio certiorem facit. Perlectas Duces reddidêre literas; iter proſequi, cúmque Præfecti urbici reſponſo rurſùm redire jubent. Fecit imperata Vékonyius, relatóque ad Eugenium Gubernatoris reſponſo, nunquam ſe Turcis videndum dedit. Hinc factum posteà, ut Eugenius prævertens hoſtem nîl tale metuentem, in ſuis caſtris, ducente alam dextram PALFFIO, 16 Auguſti aggreſſus ſit, depulsóque è latibulis ſuis Veziriô, urbem ipſam cum arce, 22 ejuſdem menſis die ad deditionem compulerit. Non defuit Vékonyio præmium, qui inſigni trans Tibiſcum Bulsó pago ab Rege donatus, in Nobilium relatus eſt catalogum,

Cen-

Centurionisque honore & ſtipendio au-
ctus, è Palffianæ Gynecæo nobilem puellam in uxorem accepit, ejuratóque Calvinô etiamnum ſuperſtes vivit. (y)

Contuſa duorum annorum cladibus maximis Orientis ſuperbia, pacem tandem, quam inſauſtè ruperat, rogare cœpit: conceſsitque eam Rex Carolus vel ex eo faciliùs, quòd inſperatò bellô ab Andegavenſi Philippo Duce ſe peti in Sicilia videret. Sancito proin Paſſaroviczii, ignobili Serviæ pago, Regem inter ac Venetos, Portámque Ottomanicam 1718.
in annos 24 fœdere, exercitus in Italiam Jul. 22.
parte aliqua traductus eſt, alia in agro Temeſienſi excubare juſſus. PALFFIUS quoque ab armis quietem nactus, erectô annô 1724 Poſonii Regio Locumtenentiali Conſiliô, in gravem illum ſummorum Virorum Senatum adlectus eſt, ac denique 1732 annô, à morte Stephani Kohári prioris anni menſe Majo ſummo omnium dolore elati, ipſi Regni Curiæ Judex datus. Rurſum autem turbas in Moſcovia cientibus annô 1735 Tartaris, Turcisque, cùm Carolo Regi illatam Sociis injuriam vindicandi eſſet animus, exercitui ſuo ad Futakinum, & Paſſaro-

 viczi-

(y) *Epit. Chron. Ung. edit. Caſſ. pag.* 297.

viczium metaturo supremum Ducem PALFFIUM dedit: qui designatis inque ordinem redactis castris, proxima anni 1737 hyeme Posonio, Curiæque redditus, vivit etiamnum, amorRegis, & populi.

JOANNES DRASKOVICH
Dal. Croat. Sclav. Banus. 1732.

JOannes Draskovich Joanne pariter, insigni cum 1200 Croatis relata de Bosnensibus Turcis annô 1689 victoria celebri, Patre; Matre verò Magdalena è Nadasdionum sanguine magnæ virtutis fæminâ progenitus, præclaram illam tum Prudentiæ, quâ pollebat maximè, tum Pietatis, quam semper quidem, at inter orandum maximè ductis ab imò pectore suspiriis prodebat, laudé ab utroque Parente hausit. Ambarum virtutum illustria dedit specimina, postquam politioribus Varasdini, Viennæque excultus Musis, toto eo tempore, quo Palffium extra Illyricum bella evocaverant, Locumtenentis Regii Banalis nomine præesse Reipublicæ jussus fuit. Ea certè in infimos quosque erat affabilitate, ut repelleret à se neminem, quin ultrò ipse alloquiô miseros dignaretur.

Nec

Nec minori tamen, cum res poſceret; 1716.
hoſtibus terrori fuit, ac amori ſuis: hinc
noſtris expugnatâ Temeſiâ victrices per
Ungariam Apoſtolicas Cruces, Aquilásque circumferentibus, ut expeditionem
Regios in fines molientibus Turcis, frumenti pabulique, omnibus ex locis congeſti, copiam adimeret, ipſe Klenonivkæ arcis Dominus, ſimúlque Pro-Prætor Regni, per Matatichium & Paraminſzkium Zrinii & Koſztaniczæ Præfectos,
accepto patrio duntaxat milite, Dubiczam Boſnæ oppidum, Perkoviczam, &
Oſtroſchaz aut expilavit, aut ſubjecto
igne cremavit, utque amplius noceret
hoſti, erectas ad Savi ripam turres ligneas, compluráque alia cum Novi inſula
aggreſſus, ingentes equitatûs Turcici annonarias domos flammis abſumpſit. Ean- 1717.
dem ſortem experta eſt anno altero Coſoraza arx in finibus Boſniæ objecta Croatiæ, quam, arma in hoſticum inferri
jubente Senatu bellico, Duce eodem Matatichio, licèt validis aggeribus, ſeptô
arboreô, turríque munitam, ſpreto hoſtilium globorum imbre, vi cepit, cæſóque præſidiô, ſolo æquavit: quo factum, ut Vezirii caſtrorum finitimo milite augendorum conſilium non parùm

turbaretur. Vaſtati præterea ſunt varii hoſtiles agri: intercepta rurſum à *Draskovichio* Atimisóque annonæ vis magna: munimenta nonnulla diruta, aut incenſa. Irritatus tot malis Cserichius, Novii, Kamengradii, omniúmque ad Unnam arcium Præfectus, arma & ipſe ferociter corripit; ſed commiſsô cum Croatis acri certamine, cum fratre, filio, ſuisque cæſus, capitibus illorum Zrinii & Koſztaniczæ palàm affixis, inconſultæ audaciæ pænas luit.

Tam bene proin de Patria meritum digno munere ornaturus Rex Carolus, promotô ad Curiam Palffiô, ei trium Regnorum Pro-Regis poteſtate moderandorum provinciam attribuit: fuitque ea inaugurationis ſolennitas, ut majorem vix anteà provectæ etiam ætatis meminiſſent. Confluxit ad hanc præter Regni Proceres omnes, vicinæ Styriæ Nobilitas, quæ jam anteà quoque plures apud *Draskovichium* hebdomadas hilarius agere conſueverat. Nec diu tamen aut *Draskovichio* præeſſe Croatiæ, aut huic *Joanne* frui licuit: qui annô 1733 brevi catarrho ad extrema delatus, vitam cum dignitate poſuit; ſed ità, ut vivat etiamnum in memoria Civium: vivat in Coloſſo MA-

RIA-

riano quem à Majoribus ſuis ante Collegii Soc. Jesu Templum Varasdini erectum, ſed temporum, aërisque injuriâ pene collapſum, inſtauravit: vivat in Lauretana Æde, quam eidem Varasdinenſi Templo adjunctam ab Suis, venuſtiorem reddidit, átque in eadem, uti parens utérque, voluit tumulari. Reliquit præter Excellentiſſimam viduam Conjugem, natam Comitem à Prandeis, filios duos Joannem, & Joſephum, quorum prior poſtremô anni 1735 bellô Italicô Martis victima pro Cæſare cecidit, alter in ſpem adhuc Patriæ eflorefcit.

JOSEPHUS ESZTERHÁZI
Dalmat. Croat. Sclav. Banus. 1733.

AD JOSEPHUM tandem ESZTERHAZIUM, Patre Franciſco, Nicolai Palatini filio, Matre Catharina, minore Emerici Tekelii ſorore progenitum, illuſtre illud eruditæ, militariſque Ungariæ ſydus pervenit hiſtoria, pronum apud eum inventura hoſpitium, in cujus non tam Lare, quàm pectore Muſas omnes domicilium fixiſſe ſcimus. Erudiri ille Tyrnaviæ primùm ad annum usque 1700, tum Romæ etiam, ſacris profaníſque ſcientiis adoleſcens non contentus,

tus, Vir quoque ætatem ſuam libros inter conterit, erectóque nobili ſua in Cseklisienſi arce Muſarum Sacrariô (in quo ad Byzantinam præter ingentem ceterorum librorum copiam, nihil prorſus; ad Romanam verò veterem æquè ac recentem Hiſtoriam parum deſideres) eruditis his Numinibus ſex, ſeptémve horas in dies ſingulos, ſi modò per negotia publica liceat, litare non ceſſat, literatorum amor ipſe pariter, ac amator.

Sociaturus dein Martē Apollini, haſtatam adamavit Palladem, adſcriptúsque Regiæ annô 1704 militiæ, Leopoldi reliquorúmque Regum partibus, contrà quàm major natu Antonius frater, conſtans fide integra adhæſit, atque licèt propria in arce Sempthenſi, ſeu Sintavienſi obſeſſus, læsô Caliſiô loci Præfecto,
1707. à Fratre,ceteríſque Rakoczii Confœderatis ad deditionem invitaretur, maluit tamen Timoleonis, fratrem ſalutis publicæ invaſorem, perſequentis imitari facinus, quàm Regem, & fidem juratam agnati ſanguinis amore prodere. Remiſsô itaque, quem Antonius frater deditionem ſollicitaturum miſerat, Paulô Prusénſzkiô, machinas ipſe bellicas diſponit per propugnacula, útque eſt pyro-

rotechnices peritiſſimus, adeò dextrè in Fratris copias librat, ut, deſperata loci expugnatione, pudore ſuffuſum abſcedere coëgerit. Ferunt nonnulli JOSEPHUM ea propugnatione non tam Ducis, quàm militis functum munere, ob continuam nitrati pulveris tractationem manu, faciéque cyclopem, neſcio quem pulchrè ſordidum, retuliſſe. Eſt Sintavienſis arx rapacî vagô, vitiferíſque latere orientali cincta collibus: obſederant hos maturô ejuſdem anni autumnô 500 è Confœderatis, núnque invitatæ operæ vindemiam facere moliebantur. Procurrit adversùm populabundos ESZTERHAZIUS cæsíſque centum, reliquos in fugam egit. Fuerat hos inter Joannes Fodor Puſztafedimeſienſis Juvenis ætate, viribúſque florens, quem diù, multúmque reluctantem manu ſua cepit denique, cúmque 12 gregariis aliis vinctum abduxit.

Expertus eandem virtutem eſt, ſed 1708.
majore ſuo malo ſignifer ille ad Thren- 3. *Aug.*
cinium, qui, obſiſtens ESZTERHAZIO, ne hic Rakoczium, quadragenis fere ab JOSEPHO noſtro paſſibus cum equo corruentem, interciperet, vexillum primùm, tum & vitam dextra ejuſdem

ESZ-

ESZTERHAZII amiſit. Adierat hic tamen, à nonnuliis Rakoczii Talpaſiis cinctus, vitæ periculum; ſed maſcula prorſus virtute ſe tuitus, accurrente poſteà in auxilium Joanne Georgio Redlio Pro-Centurione non ſinè commendatione præclaræ fortitudinis ad ſuos revertit. Illuſtria hæc ejus facinora ubi Regi nunciata ſunt, dignum is judicans, qui non modò imperata providè, fortitérque exequi, ſed dare etiam mandata poſſet, eidem Ladislai Ocskay à Confœderatis Ujvarini miſerè perempti, Legionem equeſtrem annô 1710 attribuit; ſed hac annô 1714 exauthorata, aliam, cui hactenus Joſephus alter Eſzterházius, Pauli Palatini filius, præfuerat, quámque jam annô 1702 idem Palatinus privato ære, pro fratre Gabriele adversùm Gallos ituro, conſcripſerat, accepit.

Eodem annô 1714 politioris quoque Architecturæ, cujus, uti & militaris peritiſſimus ſemper habitus eſt, daturus experimentum, ad oppidum ſuum Cſekliſzium, alterâ Poſoniô in orientem ſitum leucâ, exciſis amœniſſimo in colle vineis, fundamenta Caſtelli jecit, quod modò, ſeu ſitûs ridentem faciem, ſeu ad omnem artis regulam correſponden-

den-

dentium ſibi partium ſymetriam ſpectes, abſolutum planè, perfectúmque videmus. Indidit eidem armamentarium vetera modernáque armorum complexum genera. Tum, ne ſuum quoque Muſæ deſiderarent Sacrarium, imitandô utinam pluribus exemplô! Bibliothecam erexit non levibus impenſis Munkácsiano præſertim librorum apparatu illuſtriſſimam. Nec tacenda hic ejuſdem Comitis pietas, quam ut egregio aliquo conteſtaretur opere, magnificum Divæ Annæ Odeum ad nigram aquam (fluvius eſt Cseklisiüm alluens) inſignémque è lapide Marianum Coloſſum pro ipſis Caſtelli portis erexit, útque coram eo, præeunte Sacro Curione, ab univerſa obſequiis ſuis attributa familia Magnæ hujus Matris laudes Lytaniis comprehenſæ ſingulis Sabbati diebus recitarentur, piô decretô ſanxit.

Et favêre tantæ pietati Superi, útque memorandam ſeculis omnibus annô 1717 de truculentiſſimo hoſte referret 1717.
victoriam, conceſsêre. Accidit fortè, ut debellatô jam in caſtris ſuis Veziriô, adferretur Eugenio, Seraskierum cum 30 Turcorum, Tartarorúmque millibus Ujpalancæ inhiare: ſollicitus loci ſervandi Prin-

Princeps, ESZTERHAZIO illico mandata mittit, hoſtémque aut depellere, aut certiora referre jubet. Suſcepit extemplo periculoſam licèt Provinciam ESZTERHAZIUS, tantóq; lubentiùs, quòd præclarum quodpiam audendi facinus occaſiònem oblatam ſibi videret. Ne tamen exiguum ſuorum 600 manipulum manifeſtæ non tam pugnæ, quàm lanienæ objiceret, placuit ab ingenio conſilium poſcere, quámque apertis viribus non poſſet, inſanam hoſtium multitudinem arte eludere: laxari ergò, quantùm licuit, militum jubet ordines, augeri tubarum, tympanorúmque numerum, ut ſi auditu rem metiaris, juſti exercitûs ſpecies videri poſſet. Tegebat fraudem denſa nebula, útque modica ea manus ingentem de copioſo hoſte victoriã referret, cum pulverulenta, quam excitari præceperat, nube effecit. Vix enim Centurio noſter, quem ESZTERHAZIUS ceterum agmen præire juſſerat, ſub conſpectum Turcorum venit, audito illi numeroſo tubarum, & tympaorum crepitu, univerſum exercitum adeſſe rati, conclamant illico, collectisque vaſis, tumultuariâ fugâ ſe ſe proripiunt. Tum verò Centurio ille

ac-

accepti mandati immemor, neque Ducem de fuga hoſtium edocere ſollicitus, relicta à barbaris tormenta in fugitivos convertit, magnámque, ùt confuſi erant, eorum ſtragem edit. Audito machinarum fremitu ESZTERHAZIUS, ſtetit attonitus nonnihil, quídque rerum ageretur incertus, alium illico expedit, certiora relaturum: qui ubi hoſtem, relictis impedimentis omnibus, fugiſſe nunciavit, accurſum eſt cum reliquo agmine, inſecutíque noſtri per octo leucas panico metu correptum barbarum, poſtquam ſuis partim victricibus dextris, partim Serviæ & Boſniæ ruſticorum operâ deleviſſent, cum 8 Janitsaris, 10 tormenta currulia, 143 varia ſupellectile currus divites, papiliones ad unum omnes ad caſtra reduxerunt. Facit nonnullam victoriæ hujus mentionem *Ketteler*; (z) qui tamen graviter in Ducis nomine lapſus, locò JOSEPHI Simonem, qui tunc nullus in caſtris Regiis, Eſzterházium nominat. Fuêre in ea expeditione Franciſcus Fodor Babocsaianæ legionis Legatus, Sigiſmundus Pyber, Joannes

(z) *Lib.* 52.

Havor, & Joannes Drobolovich Centuriones, Joannes Georgius Redii Ghillanianæ, Franciſcus Hajkovich Emerici Zſidonis legionum itidem Centuriones, aggregatus item, ùt dicimus, Joannes Holler, ac denique Joannes Furo, atque Gazſo Pro-Centuriones. Non multò pòſt alter Splénii Ungarorum manipulus, Ductore in Tribuni abſentia Samuele Farkas de Kazub tum Centurione, uno abhinc 1737 anno Emerici Desöffi Pro-Tribuno Orſovam, nobilem in medio Iſtri arcem, diffugientibus pari metu Turcis, magnâ noſtrâ gloriâ, maximô univerſæ Ungariæ bonô, intercepit. Redeunte in caſtra victore ESZTERHAZIO, poſtquam Ujpalancæ feſtos inter tormentorum mugitus conſuetô Hymnô laudes ſummo Numini decantatæ fuiſſent, cùm Turcis captivis narraretur, exiguum hunc militis Ungarici manipulum eſſe Heroës illos, qui Seraskierum cum 30 millibus proſtraviſſent, illi mixto pudori furore ſuccenſi, in propria ora, crinésque ſævientes, inſano ululatu florentem adeò exercitum Turcicum exigua Ungarorum manu debellatum gemebant. Aucturus barbarorum eorum

rundem dolorem ESZTERHAZIUS erepta hosti tormenta cum cetera supellectile Turcica pro suo tentorio statui, pluribúsque diebus exposita oculis captivorum objici præcepit.

Confecta verò Passaroviczensi pace, missus ipse annô 1719 in Italiam, utilem posteà, anno sequente in Siciliam translatus, non sinè manifesto vitæ discrimine operam navavit; in Panormitana namque Aprilis mensis oppugnatione, cùm in humili fortè tuguriolo mensæ assideret, pyroboli fragmine multas muri, lapidúmque partes spargente ipse quoque ictus momentò prosternitur, non nisi incisâ per Rochusium, quo à cubiculis utebatur, venâ, admotóque naribus balsamô sibi restitutus. Accessit dolor alter: sed animi, dum Bellici Senatûs Consultô legionem suam, nullâ aliâ substituta, ibidem exauthoratam videre cogeretur; ingenti id militum ipsorum factum luctu est, quem sparsi decentibus martiales vultus lacrymis satis testabantur.

Solaturus dolorem Rex, eidem circa annum 1721 Gestessinam ditionem, Fratri Antonio, Regis clementiam re-

nuenti, ſubditam contulit, útque Tattenſem agrum ære non modico juris ſui facere poſſet, conceſſit. Auxit poſteà annô 1733 utrámque ditionem, novísque ex Alſatia, Franconia, Rheni tractu accitis Coloniis, pagos aliquot conſtituit. Memor ille tamen hic quoque inſitæ ſibi pietatis, Divino cultui partem aliquam conſecraturus, PP. Camaldulenſibus prædium Maik ſub arce Geſtes ſitum confert, illúdque cum ſylvis, agris, pratis, molis & piſcinis, impetrata Donatione Regia, poteſtati DEI ſervorum tranſcribit: convehitúrque jam copioſa vis lapidum, extruendo Cœnobio ſervitura. Et remuneràſſe viſus illico liberalem adeò pietatem DEUS fuit; Aprili enim menſe ex Magiſtro Curiæ Regiæ, quod ille munus à morte Michaëlis Eſzterházi, Pauli Palatini filii, acceperat, Pro-Rex Illyrici dictus, inclinata jam æſtate ex Generali Campi Vigiliarum Præfecto, Generalis quoque Campi Mareſchalli Locumtenens renunciatur. Gaudet etiamnum Provincia Comaromienſis datum ſibi illum pluribus jam ab hinc annis Supremum Comitem: ſuſpicit

Lo-

Locumtenentiale Regium Consilium, gravem Senatorem: Septemviralis verò Tabula Patriæ se Patre, Legúmque tum Canonicarum, tum Civilium peritissimo spoliatam indoleret etiamnum vehementissimè; nisi JOSEPHO in Illyricum translatô, Franciscum pariter Eszterházium Excellentissimi Pro-Regis fratrem accepisset successorem.

Hæc tam præclara animi decora viam ad summam Illyrici Præfecturam viro illustri struxerunt. Pergit ille, veterem nunc quoque augere gloriam, memórque virtutis pristinæ anno hoc 1737, quo in Turcam Ungariâ totâ arma parantur, Croaticis & ipse, summô illius Gentis gaudiô, Dux datus cohortibus, strenuè se, suósque ad id bellum comparare non cessat. Castra nunc ad Kostaniczam in *Plavicsevo-polie* metatur, ubi nova signa militaria nuper ab Illustrissimo Georgio Branyuk Zagrabiensium Episcopo, ab insigni morum integritate, variáque eruditione Præsule commendatissimo, consueto Romanæ Ecclesiæ ritu sacrata audivimus. Fortunent vota boni Superi, concedántque propitii, ut tanti Ducis virtute, reliquum pariter Illyricum Fidei Christianæ,

næ, libertatíque priſtinæ aſſertum hilares videamus. Sperare id nos facit, nota omnibus in Cœli Reginam Pro-Regis pietas, cui ille annô 1735 ad novam Germanorum Coloniam Semle, Geſteſiæ arci proximam vetus Sacellum è ruinis eduxit magnificè, politóque marmore ad decorem ornavit. Coronidem Hiſtoriæ imponat unicus Matre Franciſca è Comitibus ab Eck, natus Joſephus pariter, filius, qui Tyrnaviæ, Viennæque politioribus omnibus excultus diſciplinis, luſtratis aliquot Europæ Regionibus, Ungariâ ad extremum ipsâ, ac Tranſylvaniâ veſtigatâ, uno abhinc menſe Jun. an. 1737 Patrem in Illyricum ſecutus eſt, ut domeſticis Excellentiſſimi ſui Genitoris intentus exemplis, in parem Heroëm, Patriæque noſtræ Columen ſe ſe efformet.

O. A. M. D. G. B. V. M.
E T
OO. SS. H.



